

Madách Könyvtár — Új folyam 51.

Emerici Madách
Tragoedia Hominis

Sorozatszerkesztő: Andor Csaba

A sorozat eddig megjelent köteteit lásd az utolsó lapokon!

© Fehér Bence (Latin translation)

Emerici Madách
Tragoedia Hominis

Madách Irodalmi Társaság
Szeged–Budapest
2006

Készült Budapesten, 2006-ban. Felelős kiadó,
műszaki szerkesztő, borító:
Andor Csaba

ISBN 963–9386–43–X
ISSN 1219–4042

SCAENA PRIMA

In excelsis. Dominus gloria circumdatus in sede sua, agmen angelorum genibus nixum, IV archangeli iuxta sedem stant. Splendor maximus videtur.

CHORUS ANGELORUM

In excelsis Deo sit gloria uni,
Terra et caeli laudent nostrum Deum,
Sunt omnia uno eius prolata verbo,
Fiet nutu eius finis omnium.
5 Vis est, voluptas, notio ipse tota,
Nostrum est modo umbra, qua nos protegit,
Adoretur pro gratia infinita,
Quod nos consortes lucis prostitit.
Mens sempiterna magna est facta corpus,
10 Finita est, ecce, iam creatio,
Quibus concessit spiritum, offerunto
Dignum tributum in sacro solio.

DOMINUS

Perfectum nunc opus magnum est, ita.
Auctor quievit, mota est machina.
15 Mille annos milies rotabitur,
Novandus dum sit dens unus rotae.
Cito, custodes mundorum, cito,
Porro infinitos cursus tendite,
Me rursus delectate sub meo
20 Stridendo praeterlabentes pede.

(Genii stellarum globos sidereos, cometas, nebulas sidereas varia magnitudine et colore singula binave volventes ante sedem praetervolant, dum harmonia sphaerarum voce suppressa auditur.)

CHORUS ANGELORUM

Insolens suo nitore
Orbis flammae quam superbe it,
At quibusdam astris modestis,
Invitus quamquam, ipse servit. –
25 Haec micat pusilla stella,
Lucernam segnem putares,
Ut mundum immensum, colunt sed
Mille milies eam res. –
Invicem luctant duo orbis
30 Se conferre et semovere:
Hoc certamen est habena,
Qua cursus possunt tenere. –
Ille devolat tonitru,
Territus procul tueris,
35 Sed sinus mitis beatae est
Myriis vivis quietis. –
Quam modesta est – stella quondam
Est amorem praebitura;
Hanc solacio reservet
40 Genti humanae cara cura. –
Illic mundi nascituri,
Hic cadentium sepulcra:
Verba quae movent superbos,
Desperantes excitura. –
45 Ordinem turbans propinquat
Horridā formā cometa:
Obliquam viam retorquens
Vox erit Divina meta. –
Care iunior geni, intras
50 Mundi cum mutabili orbe,
Nunc veste alba, nunc virenti,
Mutato luctu et nitore.
Magno sis beata caelo!
Spe non missa vade, perge;
55 Hoc pugnatur fine parvo

Magnum cogitante mente.
 Risus, fletus, turpe, pulchrum,
 Ver hiemsque circuibunt,
 Lux et umbra unā, Deique
 60 Gaudiumque et ira fiunt.
(Genii stellarum agmine exeunt.)
 ARCHANGELUS GABRIEL
 Metatus infinitum inane
 Materiam qui illi indidisti,
 Verbo uno magnitudinemque
 Distantiamque protulisti:
 65 Osanna, Mens, tibi!
(Procumbit)
 ARCHANGELUS MICHAEL
 Adunans mutabunda semper
 Simulque et immutabile usque
 Qui infinitumque saeculumque,
 Creasti singulos genusque:
 70 Osanna, Vis, tibi!
(Procumbit)
 ARCHANGELUS RAPHAEL
 Appellens carnem ad sentiendum
 Beatitudinem profundis,
 Prudentiam tuam omnibus qui
 Impertiris praebesque mundis:
 75 Osanna, Bonitas!
(Procumbit)
(Pausa)
 DOMINUS
 Tu, Lucifer, stasne insolens, tacens?
 An non habes verbum laudi meae?
 Forsan quod feci, displicet tibi?
 LUCIFER
 Placeret quid? Diversis praeditae
 80 Nonnullae viribus materiae,

Quas ante quam apparerent, forte non
 Opinatus vires inesse eras,
 Sin sis, illas mutare nil queas,
 Permixte factae in nonnullos globos
 85 Nunc se attrahunt, depellunt atque agunt,
 Nonnullis vermibus sensum inferunt,
 Dum impleta refrigescant omnia,
 Neutrales supersint scoriae. –
 Si quando investigarit hoc homo,
 90 Paret sua in fornace denuo. –
 Impostum fornaci magnae genus
 Humanum spectas misceri omnia
 Et experiri, se Deum putans.
 Sed devastatis potionibus
 95 Et corruptis te accendet ira sera.
 At non perito quid fabro exigis? –
 Ad quam rem spectat haec creatio?
 Scripsisti carmen ad laudem tuam,
 Vilique machinae cum credidisti,
 100 Ad saecla saeclorum non taedium
 Te constanter canendi usque afficit.
 An tali digna est haec iocatio
 Sene, apta vere cordi infantium?
 Luto scintilla inflata eri parat
 105 Imaginem non, monstrum fictile;
 Fatum, libertas invicem se agunt
 Absente sensu concordi arbitro. –
 DOMINUS
 Adorari, haud censeri debeo.
 LUCIFER
 Nil offeram, nisi ipsius meum.
(Angelos digito monstrans)
 110 Hoc agmen vile te laudat satis,
 Quibus laudem dignam certe exigis
 A te partis, ut umbra a lumine,
 Ego sed vivo ab omni tempore.

DOMINUS
 Procax tu! partus non materia es?
 115 Ubi ante volveras cursum, vim ubi?
 LUCIFER
 A tete idem possum rogare ego.
 DOMINUS
 A tempore infinito comparo,
 Quod factum est nunc, et in me vixerat.
 LUCIFER
 Nonne impedimentum quod rerum erat
 120 Cunctarum, sensisti in consilio
 Inane, es compulsus creare quo?
 En Lucifer, hoc est obstaculum,
 Negationis numen pristinum.
 Me vicisti, cui est necessitas
 125 Semper dilabi per pugnas meas
 Et vi nova rursus consurgere.
 Materiam gignente te obtuli
 Campos illi, vitae mors adstitit,
 Felicitati desperatio,
 130 Et umbra luci, scrupulus spei.
 Ubique adsto, quo tu es loco, vide.
 Adorem te, qui sic te noverim?
 DOMINUS
 Rebellans spiritus! abes tu, abes.
 Possem, at nolo delere funditus
 135 Te: in scoriis lucta abiectus, perosus,
 Exul communionem spiritus.
 Te solitudinis perpetuo
 Dolore torqueat sententia
 Cassari incassum carnis vincula,
 140 Vanum bellum pugnari cum Deo.
 LUCIFER
 At non! non me expelles tam leniter,
 Ut vilem machinam non iam utilem.

Creavimus consortes: postulo
 Sortem meam.
 DOMINUS (*irridens*)
 Fiat, velut cupis.
 145 Terram aspice, specta silvas in Eden;
 Has celsas arbores in medio
 Duas exsecrabo – dein sint tuae.
 LUCIFER
 Parca manu das, sane magnam habes vim.
 Sed mi sat est hoc fragmentum soli,
 150 Consistit sicubi negatio,
 Ruinam comparat mundo tuo.
 (*Pergit*)
 CHORUS ANGELORUM
 Devote, abes, ne esto coram Deo.
 153 Diiudicanti Osanna Domino.

SCAENA SECUNDA

In paradiso. Arbores scientiae et vitae aeternae in medio stant. Adam et Evam venientes variorum generum bestiae miti fiducia circumdant. Apertis portis caeli gloria enitente harmonia angelici chori leni voce auditur. Die aprico.

EVA

O vita, vita: quam pulchre, ut sapit!

ADAM

155 Et dominatio rerum omnium.

EVA

Sentire nos curae esse, et balbutitam
His pro omnibus debere tantum Ei,
Has qui voluptates dat, gloriam.

ADAM

Debere vitae est ratio tuae. –
160 Siti cogor, vide, quantum, Eva, pomum
Hoc allecat nos.

EVA

Discerpam tibi.

VOX DOMINI

Sta, sta! totam terram tibi dabo,
Adam, modo has fuge arbores, fuge,
Defendit spiritus pomi illecebras
165 Mi discrepans, et morte morietur,
Qui hoc sumpserit. Vide hic uvam rubere,
Illic lenem umbram praebere otium
Calore ardente splendidi diei.

ADAM

Mirum est praeceptum, sed puto severum.

EVA

170 Cur hae praecellunt arbores reliquis,
Cur hae vetantur?

ADAM

Aut cur caerulum est
Caelum, nemus viride? Ita est, ita esse
Sat est. Mecum veni obsequenter, Eva.
(*In umbraculo quodam considunt.*)

EVA

Sinu inclina collum me ventilante.
(*Venti impetu magno Lucifer apparet per frondes.*)

ADAM

175 O femina! hoc quid est? Tale audii
Numquam. Quasi nos hostiles manus,
Sed ignotae petiverint.

EVA

Tremo:

Vocesque nunc caelestes conticescunt.

ADAM

Audiri opinor pectore in tuo.

EVA

180 Ac si sit nube obducta gloria
Superne, ocellis insit hic tuis,
Adam! ‘ ubi extra te possem invenire
Ego, tua ardens quam exciit cupido
Ad vitam, ut sol regalis in sua
185 Luce – orbus ne stet sic in universo –
In speculo lymphae pingit ipse se
Et ludit gaudens socio suo
Oblitus liberaliter sui
Modo ignis esse vanum simulacrum,
190 Quod labens secum in nilum duceret.

ADAM

Ne dicas, Eva, mi derisui!
Ecquid vox est, nisi est, qui intelligat?
Ecquid lumen, color ni concipit?
Quid essem, ni – ut flos, echo – pulchriorem
195 Ad vitam vita germinaret in te
Mea, ipsa per quam amare se potest?

LUCIFER
 Numquid tenella ausculto blandimenta? –
 Avertar inde, opprobrio suo
 Ne computans exacte ratio
 200 Sit infantili gaudio invida.
(Avicula in ramo proximo canere incipit.)

EVA
 Exaudi! dic, Adam, num intelligas
 Quid cantet hic de amore morulus.

ADAM
 Ausculto rivulum ipse, qui fremat,
 Putoque eodem cantasse hunc modo.

EVA
 205 Carissime, o quanta est symphonia,
 Sensu uno, voce multifaria.

LUCIFER
 Moror quid? ad meum inceptum, cito!
 Perituros iuravi eos, peribunt.
 Tamen rursus resisto dubitans,
 210 Num frustra contendem scientiae
 Armis, ambitionis illecebris
 Eos contra, quos asylum tegit
 Cor protegens a languitudine,
 Cadentem rursus tollens: sensus ille.
 215 Quid haesito? audentes sors adiuvat!
*(Novo venti impetu Lucifer ante homines territos apparet.
 Gloria nube obducta Lucifer cachinnat.)*
 Numquid stupemini? –
(Ad Evam in fugam versam)
 Tenella era, sta!
 Momentum mi da, te admirari possim!
(Eva restat et paulatim audaciam priorem suam resumit.)
(Secreto)
 Exemplum hoc milies renascitur.
(Clara voce)
 Adam, timen tu?

ADAM
 Ten, vilis figura?

LUCIFER *(secreto)*
 220 Et hunc patrem dignum genus virile
 Superbum praefert.
(Clara voce)
 Frater spiritus,
 Ave!

ADAM
 Quis es, venis superne, an imis
 Locis?

LUCIFER
 Ut vis, hoc nil refert apud nos.

ADAM
 Praeter nos gentem humanam nescii esse.

LUCIFER
 225 Heus! multa valde, quae nescis adhuc,
 Neque unquam noris, sunt. Pius senex
 An te creasset ille ex pulvere,
 Ut mundi in regno consors eius esses?
 Eum tu laudas, te sustentat ille,
 230 Iubetque hoc sumere, id timere te,
 Ut laniger, foveris ducerisque;
 Nil usui est tibi sensus capi.

ADAM
 Sensus capi? – Num nunc sensu carerem?
 An non solem beantem sentio
 235 Et existendi dulce gaudium
 Infinitamque gratiam Dei,
 Huic qua me terrae fecerit deum?

LUCIFER
 Forte hoc idem putat pusillus ille
 Vermis, qui pro te poma devorat,
 240 Nec non avem quae raptat, aquila.
 Te vel quid his facit praestantior?
 In vobis lux albet scintilla eadem,

Eodem motu infiniti imperi;
 Undae rivi velut quae singulae
 245 Per momentum enitent, post decidunt
 Communis alvei imas in tenebras –
 Aut fors res una – ratio, tuo
 Torpens in corde haud conscio sui,
 Toga virili haec te induat, tibi
 250 Credat, discernas ut bonum, malum,
 Ut ipse dirigas sortes tuas,
 Te solvat providentia Dei.
 Sed optimum est fors vermem stercoris te
 Propagari in molli sinu tui orbis
 255 Et nescientem vita defici. –
 Est commodum quiescere in fide;
 Sua vi niti nobile, at grave est!

ADAM

Vertigine ut ferar, tu tanta dicis.

EVA

Ego exaltor, dicis pulchra et nova.

LUCIFER

260 Sed non sat est vobis scientia;
 Ut incarnetur factis daedalis
 Manus – caretis immortalitate.
 Potest quid momenti exsistentia?
 Duabus his in plantis condita omnis
 265 Haec vis, creator quam negarat vobis.
 Hac si fruaris, ut Deus sapis,
 Illā, semper venuste es iuvenis.

EVA

Tamen crudelis noster est creator!

ADAM

At forte fraudas?
 (*Gloria paulum serenior fit.*)

CHORUS CAELESTIS

Munde, vae tibi,
 270 Temptat negans vox prisca.

VOX DOMINI

Homo cave!

ADAM

Quae vox est rursus?

LUCIFER

In ramis stridet aura.

Sit vestro homo

Imperio:

Estote, elementa

275 Auxilio!

(*Venti flatu gloria obnubilatur.*)

Meae sunt arbores hae.

ADAM

Tu quis ergo?

Namque atque nos, videris esse par.

LUCIFER

Vide per nubes vulturem vagantem,

Vide talpam, quae terram imam fodit:

280 Utrumque cingit horizon suos.

Est spiritūs regnum ultra circulum

Tuum: qui summus est, homo est tibi.

Canis sic summum numen est canis,

Honorat te, cum te accipit sodalem.

285 Sed sicut tu spernis superne eum,

Et ut fatum eius, consistis supra,

Deo par benedicens aut male illi,

Sic desuper vos cernimus superbi

Nos regni spiritalis incolae.

ADAM

290 Et ex istis es unus tu?

LUCIFER

Est ita,

Inter potentes praestantissimus,

Qui constiti praeter thronum Dei,

Sortem sortitus gloriae optimae.

ADAM
 Cur non mansisti in caelis splendidis,
 295 Cur venisti ad nos, mundi in pulverem?
 LUCIFER
 Erat mi taedio locus secundus,
 Vita uniformis, ordo consequendus,
 Chori caelestis vox infantium,
 Quae immatura usque laudat, nil malum
 300 Ducit. Discordiam, opto proelia,
 Quibus vis parta vitaeque est nova,
 Magno esse soli spiritui ubi
 Licet – quo qui audeat, mecum gradi.
 ADAM
 Dicit Deus punitum iri sequentes
 305 Nos ceteram viam, ac proposuit.
 EVA
 Quare puniret nos? – Nam si viam
 Proposuit, qua vellet nos gradi,
 Tales creavit nos certe, altera
 Quos non via mali instinctus vocarent.
 310 Vel cur stitit nos supra turbinem altum
 Vertiginantes et damnabiles?
 Sin autem culpa in eius consilis est,
 Ut inter apricos dies procella –
 Quis hanc iniustiore, cum fremat,
 315 Quam dicit hos, cum vitam dent calendo?
 LUCIFER
 En prima sapientium exstitit!
 Soror, secuturus te est magnus ordo
 Hanc asserturus milibus modis;
 Ex his multi errabunt ad mente captos,
 320 Abhorrebunt multi, haud ullus capit
 Portum. Ergo cogitare desine,
 Tot fert colores unaquaeque res,
 Ut si quis omnes usque intelligat,
 Minus quam primo conspectu sciat,

325 Nec tempore apto decretum ferat.
 Nam mors est facti cogitatio.
 EVA
 Ergo de fructu quendam carpam ego.
 ADAM
 Devovit hunc Deus.
 (*Lucifer cachinnat.*)
 Sed carpe, age.
 Opus quod est venire, id accidat,
 330 Simus scientes ut Deus.
 EVA
 Ad hoc
 In aeterna iuventa.
 LUCIFER
 Huc, huc age.
 Haec immortalitatis arbor est.
 Fac festina iam!
 (*Ad alteram illos arborem trahit, sed Cherub quidam
 flagranti gladio obstat.*)
 CHERUB
 Abeste vos scelesti!
 VOX DOMINI
 Adam! Adam! deseruisti me,
 335 Te desero ipse, quid possis, vide, unus.
 ADAM
 Perimus!
 LUCIFER
 Desperan'?'
 ADAM
 Credas cave!
 Nunc expergiscendo tantum horreo. –
 Procul, quoquo inde, – absimus, femina!
 Hic iam est desertus, hostilis locus!
 CHORUS CAELESTIS
 340 O flete fraterna cum lacrima,
 341 Perit vincente orbis mendacia!

SCAENA TERTIA

Palmifera regio extra Paradisum. Tuguriolum rude ligneum, ubi Adam stipites defodit ut saepem, Eva trichilam nectit, adest et Lucifer.

ADAM

Hoc est meum. Domusque erit mea
Pro mundo magno hic campus, potiar quo,
A damnosis feris quem protegam,
345 Necnon quem cogor fructus ferre nobis.

EVA

Ego autem necto trichilam parem
Priori, sicque inter nos evocabo
Eden omissum.

LUCIFER

Numne quanta verba
Dixistis. Proprium et familia
350 Erunt mundi motores gemini,
Quibus nascetur tormentum et voluptas.
Haeque augebuntur usque notiones,
Dum fiunt officina et patria,
Quae gignent omne nobile atque magnum,
355 Quaeque ipsius proles omnes vorabunt.

ADAM

Arcana dicis. Mi scientiam
Promisisti, eius causa gaudium
Naturae abieci, ut essem magnus, etsi
Certans. At evenit quid?

LUCIFER

Nonne sentis?

ADAM

360 Sicut Deus relinquit me vacantem
Manu, cogens in solitudinem,

Et esse illum a me sentio relictum;
Ipsius me deum, et mereri cuncta
Quae nanciscar. Mi est haec superbia et vis.

LUCIFER (*secreto*)

365 Qui nunc spernis caelos, tu vana imago,
Tuum cor fulmine ardente spectabo.

EVA

Mihique sola illa est superbia,
Matrem totius mundi me fore.

LUCIFER (*secreto*)

Cor feminae tenet quantam ideam,
370 Scelus propagare et miseriam.

ADAM

Pro qua re gratias, vita mea dem?
Si dignum sit portatu vitae onus,
Nil sit, nisi mei fructus laboris.
Libidinem quam dant haustus aquae,
375 Ardore debeo sitis mereri,
Dabo mercedem pro melle osculi
Languore, qui secutus est. Tamet-
Si decidere de me gratiae
Vincla omnia, etsi libere licet
380 Formare fatum et rursus rumpere,
Quod construebam temptanti manu –
Non forte opus iuvanti te fuit,
Mea ipsius vis sat valuerat.
Nec tu me salvavisti compede
385 Gravi, qua corpus me ad terram ligat.
Nec nomen novi, quid sit, forte filum
Tenve – hoc magis pudet! – quod sentio,
Nam terminat superbum spiritum.
Vide saltaturum corpus relabi,
390 Ocellos desse, aures servitio
Meo, cum arcana longinqui peto.
In altiora cogitatione

Tractum cogit fames me humilians
 Labi rursus tritam ad materiam.
 LUCIFER
 395 Ligamen hoc est me potentius.
 ADAM
 O vere tute iners es spiritus,
 Si hoc rete araneae, quod non videtur,
 Nil est, non sentiunt tot milia
 Vivorum, qui se liberos putantes
 400 In reti saltant, quod quidam eminentes
 Excelsi suspicantur spiritus,
 Tibi resistit.
 LUCIFER
 Solum hoc mi resistit,
 Quod spiritus sit, tamquam ego. An putas,
 Cum secreto silensque machinetur,
 405 Minorem vim? – Cave credas, tenebris
 Latet, quod deturbat creatque mundos,
 Nam vertigo auferret mentem videntis.
 Opus modo humanum micat crepatque,
 Finitum momenti exsistentia.
 ADAM
 410 Spectare me sine ergo hanc actionem
 – Momenti ad tempus; scis cor mi esse firmum –,
 Quae me potest movere, qui ipse sim,
 In me tam secretus tantumque totum.
 LUCIFER
 Vox delira – ‘ipse sum’. Fuisti erisque.
 415 Est omnis vita hoc: usque esse et perire.
 Ocellis spiritus circumspice. –
 ADAM (*quae sequentibus verbis dicit, omnia fiunt visibilia*)
 Quis tantus fluxus circa me scaturrit,
 Incessanter ruens ad altiora,
 Ubi diffinditur, velut procella,
 420 Currit terrae ad polos.

LUCIFER
 Is est calor,
 Vitam fert ad pigros campos nivalis.
 ADAM
 At flumina haec praetervolantia
 Flammae tonando, ut me auferri tremo,
 Tamen vim sentio vivificantem
 425 Quae sunt duo, quae? me stupere cogunt.
 LUCIFER
 Vis magnetismi.
 ADAM
 Subter me tremit
 Tellus. Quod informe et firmum putabam
 Adhuc, factum est fervens materia,
 Resistere haud quimus cui, quae petit
 430 Formam, pro vita certat. Hic uti
 Crystalla, illic ut germen. Inque turba hac
 Quo solvitur discreta identitas,
 Meum quo corpus, insanus fidem
 In quo ut firmo instrumento posui
 435 Cupidinis magnae atque consili?
 Infans nimis mollite, qui malum
 Mihi paras et gaudium simul,
 An nonnulla in manipla pulveris
 Solvère, aquas pars parsque in aëra
 440 Tenvem, rubens modo et gavisus, nunc
 Distillata in nubes, statim ut *fui*?
 Verba omnia, omnes cogitationes
 Mentis sumunt partem exsistentiae;
 Exuror! – forte ignem periculosam
 445 Arcanus excitabat spiritus
 Quidam, combusto me ut calesceret. –
 Hos tolle visus, aut furor capit me.
 Tantum bellum, centum inter elementa,
 Simul sensu aegro solitudinis,

450 Quam est horridum, horridum! – Cur o mihi
 Abieci providentiam, mei
 Quam sensus suspicati non verentes,
 Cupitque – sed frustra – scientia.
 EVA
 Ita est, ita est, simile sentio.
 455 Dum tu cum bestiis pugnabis, aut
 Hortum curabo languescens ego,
 Late totum orbem circum quaerito atque
 Non terra aut caelo amicum invenio
 Cognatum, hortetur qui nos protegatve.
 460 O non sic olim, aetate pulchriore.
 LUCIFER (*irridens*)
 At si tam est vobis spiritus pusillus,
 Sine manu foveuti ut algeatis,
 Si vos subordinari tam necesse est,
 En invoco vobis talem deum,
 465 Qui comior sit, quam senex severus:
 Genium terrae huius; novi bene
 E caelesti choro, est mitis puer. –
 Non devictum, geni,
 Videns me proveni,
 470 Prisca negatio
 – Quis te audeat? – cio.
 (*E terra flammae exsiliunt, atra solida nubes cum iri et
 terribili tonitu concrescit.*)
 LUCIFER (*cedens*)
 Numquis tu, portentum – non te vocavi,
 Genius terrae est mitis et tener.
 VOX GENII TERRAE
 Qui tenvis visa est caelesti in choro,
 475 Infinite potens circo est suo. –
 En hic sum, quem necesse cedere
 Fuit voci spiritus, tibi at nota
 Aliud esse exciri ac dirigi.

Meam si sumam formam, concidas
 480 Et deleantur hi vermes duo.
 LUCIFER
 Dic ergo, si superbum te eligat
 Homo deum, appropinquet quomodo?
 VOX GENII TERRAE
 Disperse per nubes, aquas, nemus,
 Quoquo spectet valens cupidine,
 485 Levatus pectore, omnes per locos. (*Evanescit.*)
 (*Nemus et fons frequens fit nymphis ludentibus.*)
 EVA
 Vide fratres hos, o, gratissimo ore,
 Vide saluent quo modo venusto!
 Abeste, desertum atque solitudo,
 Descendit ad nos cum his beatitudo.
 490 Solacium dant hi nostro in dolore,
 Hos consulemus in re angustiore.
 LUCIFER
 Nec possunt consuli oracula aptiora –
 Si decrevistis consulta ante nota –
 Quam sane ex his gratis evanidis
 495 Formis, qui respondent ut quaeritis.
 Arrident puris visis cordibus,
 Horrentes larvae desperantibus;
 Sequentur vos ut centum imagines,
 Mutatae centenas in species,
 500 Scrutanti sapienti ut umbra mitis,
 Summum bonum usque cordis iuvenilis.
 ADAM
 Quid referunt, quid, hi lusus micantes:
 Quod ante me fuit, non mihi liquet. –
 Tantum uno plus miraculi est mi paratum. –
 505 Ne plus fraudaveris me, Lucifer,
 Sine ut promiseras, me scire cuncta.
 LUCIFER (*secreto*)
 Tristem posthac scientiam istam habebis,

Uret te nescientiae cupido.
 (*clara voce*)
 Sis patiens. Momenta gaudii
 510 Mereri luctando est necesse te;
 Multos ludi cursus percurrere,
 Multum falli, dum cuncta intelligas.

ADAM
 Non difficulter patientiam
 Tu dicis, pandet cui aeterna vita,
 515 Sed ipse non gustavi poma vitae,
 Urget me momenti exsistentia.

LUCIFER
 Qui vivunt, omnibus par longa vita:
 Centum aevorum arbori, insecto diei.
 Capit sensus, amat, gaudet, perit
 520 Expleto aevo suo et cupidine.
 Non tempus fluit: mutamur *nos* in illo.
 Saeclum diesve paene sunt idem.
 Explebis et tu destinata, scito;
 Cave credas hoc tantum corporis
 525 Luto characterem humanum esse clausum.
 Viden formicam, apes in agmine:
 Pergunt stulti huc illuc mille in labore,
 Ignari agunt, errant et decidunt,
 Totum sed, ut persona permanens,
 530 Vivens, agens concorditer proponit
 Quicquid sibi, pro certo perficit,
 Dum termino exacto totum cadit. –
 Dispergitur sic pulvis corporis
 Sane tui, at resurgis centiformis,
 535 Nec quidquam est inceptandum ex integro:
 Si peccas, poenam das in filio,
 Tuum podagra in illo perseverat,
 Quicquid discis, sentis, intelligis,
 Tuum et iam proprium per saecula multa.

ADAM
 540 Senex retrospicit sic. Iunioris
 Cordis sed diversa est ardens cupido
 Mihi: in futurum prospectum movere.
 Sine sciam, cur pugnem, patiar.

EVA
 Sine et me scire, an non sit gratia
 545 Tot renovatione languida.

LUCIFER
 Esto! Incantationem confero
 Vobis: imagines evanido
 Futuri, atque extremi, in somno videtis.
 Cernentes sed, per quanta proelia
 550 Quam vilem ad terminum ducit via,
 Ne vobis desperetis neve detis
 E proelio fugaces terga: quoddam
 Iubar micans in somni nube ponam,
 Ut hortetur, quod mendax species
 555 Sit omnis visus hic – lux illa spes. –

(Interdum Adam et Evam in tugurium duxit, ubi obdormiscunt.)

SCAENA QUARTA

In Aegypto. In antica parte aula aperta. Adam ut Pharaos iuuenis in solio sedens, Lucifer ut minister eius; honorifice distans comitatus splendidus. In postica parte servi laborant in aedificanda pyramide, operis exactoribus inspicientibus et cum flabro ordinem servantibus. Sol apricus.

LUCIFER

Rogat, Domine Auguste! angore plebs,
Quae pro te fundat sanguinem libens,
Quid causa sit, cur magnus Pharaos
Throni in pulvinis ignoret quietem?
560 Diei cur voluptatem immolas,
Noctisque imagines dulcissimas,
Tui cur curam magni consili
Non servo tradis, digna quo est geri?
Terrarum in orbe cum iam sit tua
565 Omnis potestas atque gloria,
Et ferre homo quod gaudii potest. –
Centum regnorum divites opes
Tuae, tibi pandunt flores odorem,
Tibi soli dulces fructus ferunt.
570 Suspirunt ad te mille pectora:
Flava et venusta languidis ocellis,
Mollis, tenella, ut ludens visio,
Puella fusca singultans labris,
Ocellis insana ardens passione –
575 Omnes tuae. Mentis tuae impetus
Earum est sors; functas se officio omnes
Norunt, horam tibi si condierunt.

ADAM

Hoc omne non meum cor excitat.

Venit, tributum debitum, sine
580 Pugna mea, mihi non debeo illud.
Sed hic opus meum est, quod construo,
Et invenisse me viam puto,
Quae ducit veram ad magnitudinem.
Miratur natura artem in hac, feret
585 Per milia annorum nomen meum.
Nil distruet mali terraeve motus:
Homo est factus valentior deo.

LUCIFER

O Pharaos, tamen beatun' hac in
Idea es? cor tuum inspice.

ADAM

Haud ita.

590 Inane, inest inane infabile
Mihi. At quid refert? non peto beatum,
Peto sed gloriam, et patet mihi.
Modo ne vulgus sentiat dolorem –
Misericors nequiret venerari.

LUCIFER

595 Si forte tu quondam videbis esse
Momenti lusum insanum gloriam?

ADAM

Fieri non potest.

LUCIFER

Si fit?

ADAM

Darem me

Morti, mundum futurum devovens.

LUCIFER

Videbis olim, et non adibis mortem,
600 Rursum immo incipies, effectu eodem.
(Unus ex servis laborantibus adeo caeditur ab exactoribus operis, ut eiulans et compulsus usque alam apertam currit et ante thronum corruit.)

SERVUS
 Domine me iuva!
(Eva ut coniux servi se ex laborantibus expedit et singultu lamentabili in virum ruit.)

EVA
 Frustra rogabis,
 Qui non est nostrorum consors laborum,
 Non, non intelligit! – Suppressa ‘vae’
 Vox est, thronusque in alto. Me roga,
 605 Quae contegam te, arcebo corpore
 Omnes plagas.
 ADAM *(ad exactores irrumpentes, qui servum et coniugem eius abstrahere volunt)*
 Relinquitte hic. Abeste.
(Exactores exeunt.)
 Quis ignotus sensus cor occupat,
 Quis haec mulier, quae fascinatio est,
 Qua me velut catena, Pharaonem
 610 Magnum, ad se traxit in luto profusam? –
(Consurgit.)

LUCIFER
 Hoc rursus ex filis unum est eis,
 Quibus ludibrio te Dominus
 Circumdedit: memento te esse vermem,
 Si ut confidens volas papilio.
 615 Vides iam, quam firmum hoc filum tenellum est,
 Ex palmis labitur, non possum ita
 Discindere.
 ADAM *(scalis throni descendens)*
 At cave hoc agas utique.
 Quantum offendit, tantum praebet leporis.

LUCIFER
 At indecorum est regem et sapientem
 620 Id conqueri.
 ADAM
 Quid ergo fecerim?

LUCIFER *(irridens)*
 Nil restat iam nisi ut scientia
 Neget filum abditum, materia
 Et vis crudeliter derideat.

ADAM
 Nec deridere nec negare possum.

EVA
 625 O sanguis manat et fluit tuus,
 Sistam, carissime; admodum dolesne?

SERVUS
 Tantum vita nec iam longe dolebo.

EVA
 Non sic, non sic! cur vixisses adhuc,
 Si nunc perires, me cum repperisti?

SERVUS
 630 Cur vixit servus? – fert saxum potenti,
 Ut pyramis fiat, prolem iugo eius
 Gignit, perit. – Ob unum milia.

ADAM
 O Lucifer, quanta est horrenda vox!

LUCIFER
 Haec est delira febris moribundi.

ADAM
 635 At quid dixit?

LUCIFER
 Auguste Pharao,
 Ecquo doles? Rem dico maximam:
 Heus, servo uno est minus terrarum in orbe.

EVA
 Mi mundus, vilis calculus tibi:
 O vae, quis me posthac amabit? –

SERVUS
 640 Iam non. – Oblita sis, uxor, mei.
(Moritur.) Ipse

ADAM
 Amabo ego te. Auferte mortuum!
(Cadaver tollitur.)
 Sursum, puella, in pulvino throni
 Ponenda regina es formositatis,
 Ut virium rex ipse – opus fuit nos
 645 Utique convenire.
 EVA
 Pharao
 Auguste, sors servi tua est voluntas,
 Numquam recuso, temporis parum
 Concede mi modo, et posthac iube.
 ADAM
 Hanc vocem non plus! An numquam mea
 650 Potestas voce maior est iubentis?
 EVA
 Sat est hoc momento me non dolere
 Iussam – noli invidere lacrimis
 Hora prima meis pro mortuo. –
 O di, quam pulchrum, quam pulchrum cadaver!
(Super eum corrui.)
 ADAM
 655 Pulchrum et cadaver; contradictio:
 Irridet haec quies nostros labores,
 Vel paenitens surridet vanitati.
 LUCIFER
 Servus fugax, qui contra te resistit
 Dicens: ‘potentior sum iam catenis
 660 Tuis!’
 ADAM
 Pax mortuo, vivo salus.
 Is iam non sentit lacrimas, carere
 Risu tuo crux mi est.
(Cadaver effertur, Adam Evam in thronum ducit.)
 Ades, puella!

Quam dulce est otium in sinu tuo.
(Lamentatione inter laborantes audita Eva contremiscit.)
 Amores, quid mali est?
 EVA
 O nonne vulgi
 665 Audis lamentam?
 ADAM
 Animadverti eam
 Primum. Vere non bella musica,
 Ne ausculteris: basi me oblita mundi.
 Tute autem hos eiulatus fac tacere.
 LUCIFER
 Non possum, vulgus sane iuris est
 670 Lamentandi heres una cum iugo.
(Rursus eiulatu audito Eva clamorem tollit, Adam se levat.)
 ADAM
 Torqueris, o puella, et nescio,
 Qui te iuven. Per cor tuum velut
 Fulgur, lamenta icit caput meum,
 Puto mundum totum implorare opem.
 EVA
 675 O Pharao, me caede, at veniam da,
 Cui vulgi fletus non sinit quietem.
 Vide tuam me novisse esse servam
 Bene, ad te delectandum me esse natam,
 Quae praeter me sunt, omnia oblivisci:
 680 Decus, dolores, somnium, cadaver,
 Labra ut flamma et risus meus salus sit;
 Sed si monstrum ille mille bracchiis,
 Vulgus flabro dorsum petente flet:
 Artus pusillus corporis dolentis
 685 Ego ipsa, avolsa plebis filia,
 Hoc tormentum omne in corde sentio.
 ADAM
 Egoque tecum. – Ob unum milia –
 Ait qui mortuus ’st.

EVA
 O Pharao,
 Morosus factus 's, ipsa causa sum,
 690 Abspelle vel qui fiam surda, me
 Doce.
 ADAM
 Magistra tu es praestantior:
 Me lamentas audire docuisti. –
 Ne audiverim. – Fiat servile vulgus
 En liberum! Nam quanti est gloria,
 695 Homo sibi unus quam nanciscitur,
 Milibus caesis, questis milibus,
 Idem in quibus spiret vivatque homo?
 Crux sensa milies, semel voluptas.
 LUCIFER
 O Pharao, excedis modum; esse vulgus
 700 Scis destinatam fati bestiam,
 Quae volvat ordinum omnium molas,
 Eoque nam creata est. Libera illud
 Statim: quod tu abicis, non id capit,
 Novum sibi cras quaerit dominum.
 705 Putan te in hac sedere posse, ni
 Opus possessore esse crederet?
 Si inesset corde conscientia eius?
 ADAM
 Ergo eiulat cur, sicut servitute
 Doleret?
 LUCIFER
 Nescit qua re, sed dolet.
 710 Namque unusquisque homo vult imperare,
 Hic sensus, non fraternitas agit
 Subter libertatis vexilla turbam
 Magnam vulgi – etsi conscientia
 Non suscitatur illi, urgent modo
 715 Sensus obscuri ad omnem, quae nova est

Res, exstantis rei negatio,
 Sperans in illa incarnata esse, finxit
 Sibi quae de beato somnia.
 At vulgus est altum aequor: nulla lux
 720 Solis penetrat id; manent tenebrae
 Imae, modo unda, quam sursum eicit,
 Micat, quaeque unda forte es ipse tu.
 ADAM
 Cur me ipsum iactat?
 LUCIFER
 Aut tibi parem,
 Qui scit iam, quod vulgus sentit modo,
 725 Qui ut libertatis admirabilis
 Heros, te audet deturbare hoc loco.
 Dum vulgus mutat, sed nullo lucro
 Facto, nomen, possessor usque habetur.
 ADAM
 Est ratio infinitus circulus
 730 Tua, unde fors fugae via haud datur.
 LUCIFER
 Datur fugae via. Eminentibus
 His nonnullis da torques, anulos,
 Ludicra cetera, et dic: 'te levo
 Super vulgus, te nobilem hoc facit' –
 735 Credunt vulgusque spernentes ferunt
 Aequa mente a te se contemner.
 ADAM
 Noli me talibus temptare falsis
 Causis. Absint servi! sint liberi omnes.
 Eis proclama, at festina bene,
 740 Recusare ut iam sero cogitem.
 LUCIFER (*secreto*)
 Tibi confidens protinus via
 Crede ire te, cum fato traxeris.
 (*Exit.*)

ADAM
 Statoque non perfectum opus meum,
 Monens ruina magnum audentibus,
 745 Signum rogandi, inertiae et valori.
*(Extrinsecus gaudii clamores operariis discedentibus.
 Lucifer redit.)*
 Gaude, plebs, se ante te potentiam
 Flexisse. Sed cave credas coactam.

EVA
 Te consolare, mi carissime,
 Rigens utique quanti est gloria,
 750 Quae inter nos serpit, anguis frigidus?

ADAM
 O magna, magna est.

EVA
 Absit; eiulatum
 Audis desisse, nil turbat salutem,
 Quid vis iam pectore in meo quiescens?

ADAM
 O femina, ut tibi artus circulus
 755 Iners patet. Virum hoc ipso superbum
 Ad te trahis – vis tantum inertiam
 Amat, parens ut ardentissime
 Fovens defendit filium imbecillum.

EVA
 O Pharao, fors taedion' tibi sum
 760 Hac insulsa, hac inutili loquela?
 Incassum certo, non plus sapio.

ADAM
 Amores, nec cupiveris sapisse.
 Ipsius proditus sum mente sat,
 Vim, magnitudinem non pectore
 765 Quaero in tuo, scientiamque libris
 Meis possum invenire excelsiorem.
 Tu garri, garri, vocemque audiam,
 Tremat per cor meum usque fluxus eius.

Quid dicas, nil refert; quis quaeritet,
 770 Avis quid cantet parvula, audiuntur
 Tamen soni eius dulces sensibus.
 Esto tu flos, gratissimum decus,
 Inutile, at pulchrum; hoc est grata mi.
(Ad Luciferum)
 Tamen me ex crapula excitat cupido,
 775 Demens cupido forte – – sed reple –
 Audacem prospectum mihi sine
 Post annorum nonnulla milia,
 Mea ut sit fama?

LUCIFER
 Dum osculamini,
 Auram languentem nonne tangere
 780 Vultum tuum sentis et avolare?
 Volans relinquit pulverem tenellum,
 Uno anno pulvis crassus lineam est
 Forte, uno saeculo nonnullos pedes,
 Tegetur pyramis iam milibus
 785 Paucis, nomen tuum obstruet arena,
 Paradisis tuis latrante hyaena
 Mendici, servi in deserto latebunt.
(Quae Lucifer dicit, omnia videntur.)
 Haec non procella, quae caelos quatit,
 Non efficit terrae motus tonans,
 790 Immo te circummulcens mitis aura.

ADAM
 Horrendus visus!

LUCIFER *(irridens)*
 Spiritus perit
 Tantum, timere noli, sceletus
 Manet, pueris ludi curiosis,
 Distorto vultu, dilutum unde iam est,
 795 Serviverit an imperaverit.
*(Sceletum versus pede calcitrat interea ante thronum
 apparentem et lente scalis throni se devolventem.)*

ADAM (*exurgens*)

Abes, infernalis temptatio,
Conatus vane, stulta ambitio –
Adhuc sonant: ‘Ob unum milia’

In auribus. Praebere his milibus
800 Ius libera in re publica vocor –
Secus non possum. Unus perito, vivat,
Quae ex unis totum nectit, civitas.

EVA

Simul relinquis me, tuos amores? –

ADAM

Tete, thronum, relinquamque omnia.
805 Duc, duc novum ad finem me, Lucifer,
Utique multas pulchras perdiidi horas
Falsa via.
(*Gladium stringens proficiscitur.*)

EVA

Rex mi! Spe si redibis
Rupta, tuo cordi dabit quietem
Hoc cor.

ADAM

Ita est, ita; et te censeo
810 Reperturum me in forma puriore.
Neque amplecteris me tunc imperata,
Voluptatis sed sensu compar aequa.
(*Exit.*)

LUCIFER

Noli volare, adibis temperi
Fines – prius fors, quam speraveris,
815 Flebisque tunc, quam sint viles, videns,
816 Dum ego ridebo. – Porro, eamus ergo.

SCAENA QUINTA

*Athenis. In foro; in medio rostrum, in parte antica ad latus crepido
aperta templi cum simulacris deorum, sertis et aris. Eva ut Lucia,
uxor imperatoris Miltiadis cum filio Cimone ancillarum turba comi-
tata divis offerenda portantium ad crepidinem templi venit, in foro
vulgo miserrime vestito palante. Sol matutinus nitet.*

EVA

Huc, huc veni, fili carissime.
Vide, illac nave vectus est cita
Pater pugnatum in patriae ultimam oram.
820 Ibi gens atrox incolit minata
Audacter libertati patriae.
Oremus, oremus, mi nate, divos,
Ut ius defendant huius civitatis,
Salvum ut reducant heroem patrem.

CIMO

825 Num cur in ultimam oram ivit pater
Defensum plebem ignavam veste vili,
Pulchra uxor eius dum maerore sumpta est?

EVA

Eheu, patrem tuum ne iudicaris,
Hoc quae facit, deis sacra est propago.
830 Non est nisi fas feminas amantes
Mariti flere facta maxima,
Quae non fecisse dedecus foret.
Pater fecit, velut virum decet.

CIMO

Timesne eum tunc, mater, vinci inertem?

EVA

835 Non, non, fili, pater fortissime
Vincet, nihil timebo illi, nisi hoc:
Se ipsum non posse vincere.

CIMO

Ut putas?

EVA

Vox clara quaedam in spiritu viget,
Ambitio. Sopita est illa servis,
840 Artis locis torquetur in scelus.
Sed libertas cruore alens suo
Auget magnam in virtutem civilem,
Quae gignit omne magnum et nobile,
Sed si nimis valet, matrem impetit
845 Et pugnant, donec altera occidit. –
Si praevaleret haec in patre vox,
Si fraudaretur sanctam patriam,
Exsecrarem illum. Oremus, nate mi.
*(Intrant pronaum templi, dum usque plures in foro
congeruntur.)*

PRIMUS EX VULGO

Nihil iam auditur excitabile, ut si
850 Nil hostis invenirent arma nostra.

ALTER EX VULGO

Domique dormitant omnes viri,
An nemo concoquit consilia,
Olim velut fuit, ad quae transigenda
Augustae plebis esset ore opus.
855 A prima luce pervagans forum
Non emptorem suffragi repperi.

PRIMUS EX VULGO

O vita taediosa, nil agendum est.

TERTIUS EX VULGO

Parum tumultus commode veniret.
*(Interea Eva ignem in ara incendit, manus lavavit et se ad
sacra offerenda praeparavit. Ancillae hymnum canere in-
cipiunt, cuius strophae sequenti dialogo immiscentur.
Forum civibus frequens factum est, duo demagogi pro
rostro contendunt.)*

39

DEMAGOGUS PRIOR

Cede! hic locus meus 'st. Nisi loquar,
860 Est patria in discrimine.
(Plebs consentiens vociferatur.)

DEMAGOGUS POSTERIOR

Et loquente

Perit te. Abi inde, mercenarie!
(Vulgus cachinnat et plaudit.)

DEMAGOGUS PRIOR

Non mercenarius 's tu: nemo emit te.
Dolens tollo vocem meam, Quirites,
Nam detrectari maximum in lutum
865 Luget cor nobile; et magnum trahi
Triumphali de curru opus virum est
Ad sedem iudicis.

DEMAGOGUS POSTERIOR

Coeptum bene,

Sceleste! Exorna sertis hostiam
Ad immolandum.

DEMAGOGUS PRIOR

Exinde cede, abes!

VOX E VULGO

870 Quid hunc audimus deridere nos?
(Demagogus posterior detrahitur.)

DEMAGOGUS PRIOR

Tamen quantumvis cor dolet, loquar,
Nam tete, honesta plebs augustaque,
Pluris tuo imperatore aestimo.

DEMAGOGUS POSTERIOR

Vulgus famelicum, venale pectus,
875 Quod ut canes, exspectat mensa erili
Cadentes morsus? – O ignave tu,
Non invidebo gustibus tuis.

VOX E VULGO

Perito! et ille proditor, perito!

40

(Etiam magis laeditur. Eva duas columbas et tura in ara immolat.)

EVA

Venus sancta! accipe o propitia
880 Fumum huius hostiae, exaudi preces:
Non laurus exoro viro meo –
Domi otium cordi fortissimo.
*(In fumo hostiae ridens apparet Cupido circumdatus Gra-
tiae, quae rosis eum spargunt. Comitantes ima devotione
tenentur.)*

ANCILLAE

Illi adnue!

CUPIDO

Bearis, femina,

Puri cordis bonis! –

GRATIAE

Et Gratiae

885 Te protegunt! –

ANCILLAE

O gratias Dionae!

DEMAGOGUS PRIOR

Audi causam, plebs! Urbem vendidit
Miltiades, vir magnus.

DEMAGOGUS POSTERIOR

Fallis, o

Mentiris! me audite, aut opprobrio

Dolebitis sero.

PRIMUS E VULGO

Procax, abes!

(Plane deturbatur in vulgus.)

DEMAGOGUS PRIOR

890 Iuventae florem vestrae secum habet,
Qui Lemnum cepit uno ictu, resistit
Nunc deses ad Pharum. Corruptus auro est.

TERTIUS E VULGO

Supplicium peto!

PRIOR OPTIMATUM

Clamate, age,

Domo conducta aut migrate, inquilini.

(Sacris peractis numina evanescent.)

EVA *(consurgens)*

895 Foris quis clamor? fili, visum eamus.

CIMO

Mater, damnatur quidam proditor.

EVA *(scalis crepidinis descensura)*

Semper cor angit visus hoc, potentes

Condemnari vulgo famelico.

Clarum dilabi gaudio maligno

900 Proletari vident ludibrio,

Tamquam excusarent sic sordes suas.

ALTER E VULGO

Velim clamare, sed rauco sono sum,

Patrone.

POSTERIOR OPTIMATUM

En accipe, hoc gulam perunge.

ALTER E VULGO

Quid dicam?

POSTERIOR OPTIMATUM

Capitis sententiam.

VOCES E VULGO

905 Supplicium det! –

EVA

De quo demum agatur?

DEMAGOGUS POSTERIOR *(eam accedens)*

De nemine altero, ac qui maior est

Quam concives, neque id pati queunt.

EVA

Miltiades? – O maximi dei!

Senex tu Crispe, quem de servitute

910 Salvavit vir meus, clamasne mortem?

CRISPUS

Ignosce patrona, ex duobus uni
Vivendum est nobis. Tres cum liberis
Me alit, qui tale vult suffragium.

EVA

Vae

915 Quem, Crispe, tam vicissitudines
Depravant! Ignoscam fame coacto.
At te, Thersite! at unumquemque vestrum,
Qui dormitis re prospera quieti,
Cum sint pulsi hostes a meo viro
Ex portis! – O ingratitude! –

THERSITES

920 O patrona! hoc feram quamvis acerbe,
Ecquid possemus? sic vulgi voluntas:
Quis res periclitaretur suas
Omnes renitens undis turgidis?

DEMAGOGUS PRIOR

Edicam ergo, quid cives senserint.
(Lucifer ut miles vultu territo, cursu citato venit.)

LUCIFER

925 Res in discrimine! hostis ante portas!

DEMAGOGUS PRIOR

Fieri non potest, nonne imperator
Huic victor obstat?

LUCIFER

Ipse hostis est.

930 Quid moliremini in se, cognito,
Cor eius ira digna incenditur,
Dum garritis, cito vastans venit.

DEMAGOGUS POSTERIOR

Vos hoc mali attulistis, proditores!

VOCES E VULGO

Caedamus illos! – Vivat imperator! –
Vae nobis, vae! se quisque dat fugae! –
Actum est de nobis! –

43

DEMAGOGUS PRIOR

Non item, exeamus

935 Ad portas servituri!

EVA

Pro dei!

Damnatio, quae te mihi abstulit,
Marite, flebam; at est acerbius,
Quod hanc fecisti veram – etsi te habebo. –

PRIMUS E VULGO

940 Uxorem prendite; urbi si ruina
Parabitur, cum filio necetur.

EVA

Pro te vellem mori libens, marite,
Ni filium damnaret patria. –

CIMO

Timere mi, mater, noli, veni,
Veni, fanum omnia arcebit pericla.
*(Persequentium turbam vitaturi crepidinem ascendunt; duae
nymphae catenam rosarum post illos demittunt obviam
vulgo, quod ilico cedit. Extrinsecus tubae audiuntur,
vulgus eiulans discurrit. Nymphae evanescent.)*

LUCIFER *(cachinnans, manus fricans)*

945 Quantus lusus fuit! Lubet ridere
Rationem, sunt corda fracta ubi.
(se vertens ad templum)

Modo iste visus turbat gaudium mi
Pulchrum usque quod semper redintegratur,
Cuius hostili in circulo algeo,

950 Ubi nudus pudicus visus est,
Scelus fit nobile et necessitatem
Augustam reddit osculis laborum
Simplicitatis et rosis suis. –

Ubi moratur saeculum meum,

955 Figurae deformes, incertus horror
Fugaturus falsas imagines

44

Vestras, homo quibus iam iamque labens
 Levatur usque in altum denuo
 Meo in certamine? – At videbimus,
 960 Mortis nos terror si brevi petet,
 Huic taedioso umbrarum lusui
 Vestro numne ultimum finem feret.
(Se vulgo immiscet.)
(Adam ut Miltiades cum cohorte armato vulneratus
adducitur. Vulgus demagogique supplicantes ei anteeunt.)
 VOCES E VULGO
 Vivat dux noster! Parce, magne vir!
 ADAM
 Quid peccastis, qua causa me obsecratis?
 965 Ecquid precatur infirmum potens? –
 Nec uxor me advenit, nec filius;
 Non forte quid mali illis accidit? – –
 EVA
 O Miltiade, quem redire non
 Possit gaudere uxor, num cur venis? –
 970 Fili, labentem matrem sustine... o nec
 Nomen purum tibi legat pater! –
 ADAM
 Quid hoc? nil comprehendo. Plebs me precatur,
 Exsecrat uxor, manat cor cruore
 Urbis causa –
 EVA
 Urbs meumque cor cruenta
 975 Magis sunt. Cur cum exercitu venis? dic! –
 ADAM
 Nonne haec magistratum meum cohors
 Decet? Vēni, quod vulnus protinus non
 Sinit grave hoc me fungi munere.
 Veni in manus ponens mandantium,
 980 Augustae plebis, nostrum imperium,
 Eique rationem redditum.

Mitto vos, victores commilitones,
 Meruistis sat otium foci
 Domusque. Et ipse nunc ense, Minerva,
 985 Votum tibi affigo nunc parieti.
(In scalis crepidinis ascensurus ducitur. Armati discedunt.)
 EVA *(ad collum mariti se applicans)*
 O Miltiade, quis iucundior
 Uxor tua est uxore, maxime!
 Vide quam par tibi sit filius, quam
 Pulcher, vide quantus!
 ADAM
 Carissimi!
 CIMO
 990 Scivi bene ipse, quod pater fecisset,
 Bene esse factum. –
 EVA
 Me afficis pudore:
 Uxorem oportuit scire hoc magis.
 ADAM
 Fili! tu patris ense offer tui.
 CIMO *(ensem pariete suspendens)*
 Hunc ense, diva, serva tu mihi,
 995 Ego a te donec quondam hunc auferam.
 EVA
 Ad duplex votum tura spargere
 Matrem sine. Ad nos despice, o Minerva!
(Tus immolat.)
 DEMAGOGUS PRIOR *(in rostro)*
 Num proditorem erravi illum probans?
 A Dario corruptum? tantum fingitur
 1000 Vulnus, pugnam non vult committere.
 VOCES E VULGO
 Supplicium!
 ADAM
 Quis rumor tollitur
 Foris?

EVA
 Horrenda vox, Miltiade:
 Te rursus turba dicit proditorem.

ADAM
 Crimen ridiculum; me proditorem,
 1005 Qui vici ad Marathona?
 EVA
 Proh ‘ ita est.
 Hic improbam rem publicam invenis.

DEMAGOGUS PRIOR
 Quid hunc moraminiprehendere?
(Tumultus ante crepidinem movetur, in quibus et Lucifer.)

EVA
 In fano tutus es, Miltiade!
 Mane. – Cur o misisti exercitum?
 1010 Cur non ussisti has delicti latebras?
 Hoc vulgus nil, nisi meret catenas,
 Erum sibi te natum sentiens, his
 Coniunctim clariorem, te trucidat,
 Ne provolvatur ad pedem, trucidat! –

DEMAGOGUS PRIOR
 1015 Auditin quo modo uxor proditoris
 Loquatur? –

EVA
 Fas ab uxore est virum
 Defendi, etsi in culpa est, quanto magis,
 Cum tam sit purus, quam sit vir meus!
 Tamque ut vos, accusator degener. –

DEMAGOGUS PRIOR
 1020 Cur obtrectari se tali modo
 Augusta plebs sinit?
 PRIMUS E VULGO
 Fors vera dicit.

PRIOR OPTIMATUM
 His qui fovet, suspectus ’st. Tollite
 Voces, deterrimi, aut fame interite!

VOCES E VULGO
 Supplicium! –

ADAM
 Cela de me puellum,
 1025 Ne spectet me mori; hoc relinque pectus,
 Uxor. Fulgur, ferit quod saxa, vita.
 Ego occidam solus – cur viverem
 Viso, quam sit libertas debilis,
 Pro qua certabam omni vita mea.

DEMAGOGUS PRIOR
 1030 Ecquid cunctamini?
 VOCES E VULGO
 Supplicium!

ADAM
 Non tete, ignavum vulgus, exsecro,
 Non tu es in culpa, cuius sit nota
 Inusta serviti penuriā,
 Et serviens labatur in cruentum
 1035 Instrumentum superbiae rebellis.
 Tantummodo deliravi ipse ego
 Putans plebi libertate esse opus.

LUCIFER *(secreto)*
 Epigramma edixisti ipsi tibi,
 Et quae sequentur, maximis sepulchris. –

ADAM
 1040 Deferte me. Non plus huius moror
 Fani delubris.
(Se scalis deducendum curat, Eva molliter in amplexu ancillarum posita.)
 Ecce – sum paratus. –

DEMAGOGUS POSTERIOR
 Defende te, non causa perdita est.

ADAM
 Si voces ederem defensionis,
 Valde dolerem vulnere.

DEMAGOGUS POSTERIOR

O fac: hoc

1045 Vulgus prostravit se modo ante te.

ADAM

Hac ipsa causa sunt frustra omnia,

Non plebs opprobrio ignoscet suo.

LUCIFER

Num es factus sobrius?

ADAM

Mirum in modum.

LUCIFER

Sentin fuisse te nobiliorem

1050 Erum vulgo, quam vulgus est tibi?

ADAM

Ita est forte, at damnamur ambo utique;

Fatum est idem, diverso nomine,

Quocum pugnare vana ambitio est;

Sane non pugnabo. – Cur denique,

1055 Cur pectus ardens tendat altius?

Pro se vivat, voluptatem requirat,

Qua momenti existentiam impleat,

Et ebrius vacillet usque ad Orcum. –

Duc, duc nova via me, Lucifer,

1060 Spectem alterius virtutem et dolorem

Cachinnans, solis gaudiis studens.

Uxor, tu, quae – sic cordis visus est –

Olim mihi nexisti trichilam

In deserto, si forte filium

1065 Honestae alas, ut civis sit bonus:

Delires, digna quam derideat

Fucato vultu in pergula sedens

Puella, exspectans basia ebria.

Laetare, pota, virtutem nega. –

1070 Liger nunc ad palum poenas daturus;

Non quod quiddam commissem scelus,

Sed quem magnae excitarint notiones.

(Interdum ante crepidines palum infertur, cui Lucifer securim tenens astitit. Adam caput ad palum nectit.)

DEMAGOGUS PRIOR

Supplicium de hoc sumite Urbsque vivat!

LUCIFER *(susurrans)*

Quam nobile est 'vale'! – Commilito, num

1075 Mira aliquantum te tremefacit

Dura aura mortis deformis figurae? –

EVA

Preces non audisti meas, Minerva! –

(Ex templo genius mortis ut iuvenis vultu mitis cum face deorsum versa et sertis ad Adam accedit.)

ADAM

Minerva exaudiit me. – Ave et vale,

Cor otium replet mi, Lucia.

LUCIFER

1080 Devote orbis vanarum imaginum,

Contaminasti horam optimam meam. –

EVA

Devote vulgi spiritus profane!

Quo dure tactus flos, beatitudo

Virens statim lapsa est in pulverem.

1085 Tibi etsi non fert tot dulcedines

1086 Libertas, quot dolorum mi tulit. –

SCAENA SEXTA

Romae. Aula aperta cum simulacris deum, vasibus ornatis, in quibus unguenta uruntur, visus oculorum ad Appenninos montes patet. – In medio mensa onerata cum triclinio. Adam ut Sergiolus, Lucifer ut Milo, Catulus, omnes viri luxuriosi, Eva ut Iulia, Hippia, Cluvia meretrices indecenter vestitae epulantur. In tribunali gladiatores pugnant, servi imperantibus praesto stant, tibicines canunt. Vesperascit, post nox appetit.

CATULUS

Vide Sergiole, ut modestus, aptus
Hic gladiator sit vittis rubris,
Spondesne si devincat alterum?

ADAM

1090 Mehercle non ita!

CATULUS

O quid, 'hercle' dicis,
Quis nostrum crederet deos? Tuam
Per Iuliam iura ut credam tibi.

ADAM

Sit!

LUCIFER

Ponis firmo in fundamento fidem:
Deo pro falso falsa stat dea.
1095 Sed ius iurandum quid sibi velit, dic,
Intelligamus pulchritudinem eius,
Tuumne amorem, an fors fidem eius in te? –

CATULUS

Venustas est caduca; forte ni esset,
Diei quae illecebra est, taedio est cras,
1100 Minus formosa femina abstrahet
Ab hac novi nos fascinatione.

ADAM

Fidem eius dixi. Liberalius me
Puellae opes quis fundat?

HIPPIA

Stulte tu!

Potesne infinite complecti eam?
1105 Vel si posses, tu qui promiscue erras
Gaudii inexplata cupidine,
Cuius partes inveneris modo
Decerptas singulis in feminis,
Voluptatis volante et gratiae
1110 Usque ante te idea, tangi impotenti
Miraculo: unde scis, num ficta imago,
Mentis libido eam numne abstrahat?
Gladiatoris contunsi tori – –

ADAM

Verum est, ita est, ne pergas, Hippia.
1115 Voluptas cur nos Tantalos trahit
Defectis Herculinis viribus,
Mutari non potentes Proteos,
Servus contemptus post dies laboris
Si forte sumit horam, quam cupit
1120 Erus frustra. – Vel gaudium est nihil,
Aquae nisi haustus languidis, eisque
Mors, qui se fundunt eius bracchiis?

LUCIFER

O quanta lectio moralium
Puellarum in sinu, per pocla, sarta. –
1125 Sed quid ad sponsionem? –

ADAM

Iulia

Tua est, si vincar. –

CATULUS

Sin vincas?

ADAM

Equum

Tradas. –
 CATULUS
 Recipe ad quattuor septimanas,
 Trudetur aut in pistrinam ad murenas. –
 LUCIFER
 Vide istum piscem crassum, Iulia:
 1130 Ede hunc, modo alterius pabula.
 EVA
 Nonne et vermes epulabuntur in te?
 Qui vivit, gaudeat, vel si nequit
 Gaudere forte, saltem ergo cachinnet.
 (*Bibit.*)
 ADAM (*ad gladiatorem*)
 Heus, sustine te! –
 CATULUS
 Porro, protinus!
 (*Gladiator Catuli cadit et vitam suam deprecaturus tollit
 digitos. Adam signum gratiae dare conatur, sed Catulus
 manum eiusprehendens, palmam constringens pollicem ad
 gladiatorem vertit.*)
 1135 Recipe ferrum! – Ignavus est nothus.
 Manet sat servorum, cur parcus essem.
 Quis hoc spectaculum parvum excitans
 Vobis, puellae bellulae, invideret,
 Cum basium tanto esset dulcius,
 1140 Libido ardentior, fuso cruore.
 (*Interea de gladiatore adversarius supplicium sumpsit.*)
 ADAM
 Equus meus 'st, veni ad me, Iulia,
 Amplectens. Tollatur cadaver inde. –
 Saltatores! mimum praebete iam,
 Ex hoc sat in diem.
 (*Cadaver aufertur, tribunal a saltatoribus occupatur.*)
 CATULUS
 Et tu, Cluvia,
 1145 Veni, non longius fero videre

Amplecti ceteros.
 LUCIFER
 Nonne, Hippia,
 Sequemur illorum exemplum? Labella
 Prius sed lambe, ne viro illitae sint;
 Agedum nunc, delectemur iam, amores.
 ADAM
 1150 Quid tam pulsatur cor tibi, super quam
 Iacens ut non, o Iulia, acquiescam?
 (*Inter se susurrant.*)
 LUCIFER
 Audi de corde dementem loqui! –
 CATULUS
 Carissima, ipse nil curo tuum,
 Quidvis fac corde, ne sciam modo,
 1155 Dum basia ardent semper mi parata.
 CLUVIA
 Amores clementes! en, te bene.
 (*Bibit.*)
 CATULUS
 Bene est, bene, at ne, Cluvia, abneges
 Tenellum pectus, molle brachium mi;
 Vide delapsa et sarta capite esse. –
 (*Ad saltatrices*)
 1160 O saltu in vestro quantus ille motus,
 Flammae lubido una cum gratia!
 CLUVIA
 Ocellos ocludam, si ibi invenis,
 Tibi, pro qua re campum et ipsa curro,
 Nec verbum unum laudis possum mereri. –
 (*Luciferum monstrans*)
 1165 Huius viri vel specta vultum acerbum –
 Quid huic puella bella est usui,
 Fruatur qua nullo modo nisi
 Sinat sopitam cumbere, ipse dum
 Ocellis frigidis, risu cavillans

1170 Auscultat centum dulcia etsi stulta
 Illa, ex quīs colloqui sal exstitit. –
 CATULUS
 Talis vultus sane obruit gelu
 Poesin quorumcunque coetuum.
 Qui momenti illecebris restitit
 1175 Nec sivit fluctu ferri spiritum,
 Non vir probus 'st, maneret o domi. –
 HIPPIA
 Re vera ne concepta iam in misello
 Sit pestis atra, paene sum anxia,
 Per urbem quae nunc saevit. –
 ADAM
 Absit ille,
 1180 Absit luctus imago. Certe carmen
 Obscenum, quis vestrum pulcherrime scit?
 HIPPIA (*canit*)
 Ne plemini amore
 Unquamve merove;
 Suo sapit quisque
 1185 Calix sapore.

Et crapula, crapula dulcis
 Vitam illinit auro, uti lapsi
 Sunt tumuli illiti sole.

Ne plemini amore
 1190 Unquamve merove,
 Suo incantat quaeque
 Puella ardore.
 OMNES
 Et crapula, crapula dulcis
 Vitam illinit auro, uti lapsi
 1195 Sunt tumuli illiti sole.
 CATULUS
 Sane bene est; tute ecquid, Cluvia, scis?

CLUVIA (*canit*)
 Insani olim dies fuere:
 Uti Lucretiae visere
 Viduum lectum pulchri amores,
 1200 Libido cordi, labro ardores
 Desunt, non in lupanar pergit,
 Ferrum frigans in corde mergit. –

Laetemur sano mente saeclo,
 Laetemur vivere hoc in aevo. –

1205 Insani olim dies fuere:
 Non in villa bella sedere,
 Stricto ense Brutus proeliare
 Vult, viles ut gaesati; quare?
 Egenae plebis pro salute it,
 1210 Sterili humo sanguen profudit.
 OMNES
 Laetemur sano mente saeclo,
 Laetemur vivere hoc in aevo. –

CLUVIA
 Insani olim dies fuere:
 Larvas mente heroes ciere,
 1215 Quod illis sanctum, nobis risus,
 Fors invenitur si delirus
 Eiusmodi, optime in arena
 Ludo est nobis ferisque cena.
 OMNES
 Laetemur sano mente saeclo,
 1220 Laetemur vivere hoc in aevo.
 LUCIFER
 O Cluvia, vicisti tu Hippiam.
 Vellem auctor huius esse carminis.
 ADAM
 At tu maerens non cantas, Iulia?
 Circa rident, laetantur omnia.

1225 Molestan' pectore in meo est quies? –
 EVA
 O optima est. Sergiole, at remitte,
 Beatitudo me facit severam.
 Nego qui rideat, vere beatum.
 Dulcissimae nostrae miscentur horae
 1230 Quibusdam guttis infandi doloris,
 Fortasse horam esse florem suspicamur,
 Qui flaccebit.
 ADAM
 Sic sentio, o et ipse.
 EVA
 Et praesertim cum carmen audio,
 Non verbi ausculto strictos limites,
 1235 Vox tamquam in unda navis me movet,
 Opinorque in somno iacere me:
 In priscum tempus oscillante voce
 Volare, ubi subter palmas apricas
 Fui infantilis, ludicra, innocens,
 1240 Vocata corde ad magnum et nobile.
 Mi ignosce: est somnii incantatio
 Vesani. – At basio te et – excior iam.
 ADAM
 Saltum aufer musicamque, nauseo
 Dulcedinis infiniti in mari,
 1245 Amarum iam cupit pectus meum.
 In vino absinthium, in labris rubellis
 Aculeum, caput pone in periclis.
 (*Saltatoribus abeuntibus foris eiulatio auditur.*)
 Quis eiulatus scindit sic medullas?
 LUCIFER
 Nonnulli cruciantur mente capti,
 1250 Qui somniunt ius et fraternitatem.
 CATULUS
 Bene illis contigit, quin restitere
 Domi se delectantes, mundi obliti,

Cur alterius causam disputabant.
 LUCIFER
 Mendicus ditem fratrem vult sibi,
 1255 Loco mutato te ille crucifiget.
 CATULUS
 Sine ergo egestatem ridere nos,
 Potestatem, atque pestilentiam,
 Qua urbs decimatur, divorum omne fatum.
 (*Denuo eiulatur.*)
 ADAM (*ad se*)
 Opinor me in somno iacere tamquam,
 1260 In priscum tempus oscillante voce
 Volare, ad magnum et nobile vocatum. –
 Nonne hoc dixisti, Iulia?
 EVA
 Est ita!
 (*Interea advesperavit. Ante aulam funus cum tibiis, facibus, feminis lamentantibus praeterit. Omnis coetus ad tempus rigido silentio immergitur.*)
 LUCIFER (*cachinum tollens*)
 Ut vidi, hic obscuratum est gaudium.
 An vinum dest, iocusne deficit,
 1265 Ut nec iam acerbus hoc erus ferat?
 Numne est quidam nostrum qui terreatur,
 An sit conversus?
 ADAM (*calicem ad eum iacit*)
 Sic putan? perito.
 LUCIFER
 Age, invito ad nos hospitem novum.
 Fors gaudium secum recentius
 1270 Feret. Inferte, servi, heus! ilico,
 Hac qui pergat facis sub lumine.
 Poclo quidem meri donemus illum. – –
 (*Cadaver in coperculo aperto infertur et in mensam ponitur comitantibus in postica parte scaenae manentibus. Lucifer ei propinat.*)

Pota, sodalis, cras mihi, tibi nunc!
 HIPPIA
 An forte malis basium?
 LUCIFER
 Osculare
 1275 Furareque ex ore eius obulum.
 HIPPIA
 Si tete, quaen et illum basiam?
*(Corpus mortuum osculatur. Apostolus Petrus ex comitan-
 tibus procedit.)*
 APOSTOLUS PETRUS
 Resta, namque hauris pestilentiam.
(Omnes abhorrentes loco surgunt.)
 OMNES
 Pestis – quis horror – abscedamus inde.
 APOSTOLUS PETRUS
 Misella stirps! – ignarum tu genus,
 1280 Fortuna donec arridet tibi,
 Procax es ut musca in solis calore,
 Deum, virtutem deridens teris
 Pede. At clades ut pulsat ostia,
 Ut tangeris Dei manu potenti,
 1285 Desperas foede, imbelle delitescis.
 Nonne premi te sentis punienti
 Manu caelesti? Sed circumspice
 Modo: ecce ruit urbs, gens dura extera
 Sementes aureas calcat tuas,
 1290 Nemo imperat neque ullus ordine
 Soluta paret. Caedes et rapina
 Grassantur eminentes inter aedes
 Mansuetas, cura atra et pavor sequuntur,
 Terra et caelis iuvat nil, miseretur
 1295 Nil. Num potes sopire crapula
 Lubidinum vocem illam suscitantem
 Imum pectus nequiquamque instigantem
 Ad meliora destinata te?

Num sis unquam satur, an sis? modo
 1300 Affectus taedio es libidinum,
 Spectas circum anxius, labris tremens:
 Vanum est sed omne, non deum fidem
 Priscorum habes, sunt saxa iam et rigent.
(Deum simulacra in pulverem solvuntur.)
 In pulverem fiunt, non invenis
 1305 Deum novum, qui extollat scoria te. –
 Specta iam circum, quae vastet lues
 Urbem tuam peste potentior:
 Surgunt molli e pulvino milia,
 Ut desertos locos Thebaidis
 1310 Frequentent anachoretæ efferati,
 Quid possit excitare et elevare
 Hebetes usque sensus, quaesituri. –
 Peribis, o depravatum genus,
 Ex orbe, qui nunc purgatur modo.
 HIPPIA *(corruens ante mensam)*
 1315 O vae mihi, quantus dolor nefandus,
 Quam frigidi sudores, ignis Orci –
 Heu pestem, pestilentiam – peribo.
 Nemone adest vestrum, qui me adiuvet, tot
 Partitam vobiscum libidines?
 LUCIFER
 1320 Tibi nunc, cras mihi, carissima. –
 HIPPIA
 Me occidite ergo, vel vos devovebo.
 APOSTOLUS PETRUS *(ei accedens)*
 Noli exsecrari, ignosce, filia –
 Ego adiuvo te et magnus Deus,
 Deus aeternus sacrae caritatis.
 1325 Ad illum tolle te, ecce spiritus
 Tuus purgatur scoriis aqua hac,
 Ruitque ad illum.
(Eam baptizat ex urna, quam de mensa sumpsit.)

HIPPIA
 Lenisti, pater, me.
 (*Moritur.*)
 CATULUS (*iens*)
 Ipso hoc die pergam Thebaida
 Saecli scelesti affectus taedio.
 CLUVIA
 1330 Mane, te comitabor, Catule.
 (*Exeunt.*)
 ADAM (*cogitabundus in anticam partam scaenae prodit Eva comitante*)
 Tune hic es? quid velis, dic, Iulia,
 Hic, mors ubi interfecit gaudium.
 EVA
 Nonne est locus mihi illic, tu es ubi?
 Sergiole! o quot sensus nobiles
 1335 In pectore hoc invenisses, ubi
 Voluptates inquirebas fugaces. –
 ADAM
 Item me in ipso. Quantum hoc paenitet!
 Perire nos miserrime minutos,
 Patique usque id. Si vivit, o, Deus,
 (*Ad genua procumbens manus ad caelum tendit.*)
 1340 Gerit curam nostram, nobis potitur,
 Novam gentem inferat novamque mentem
 Mundo; illam, sanguis ut recentior
 Notho infundatur, hanc ut nobilis sit
 Sphaera altius tendenti. Sentio omne,
 1345 Quod nostrum erat, detritum – deficit vis
 Novum ad creandum. Exaudi me, Deus!
 (*In caelo crux apparet in gloria. Videntur ultra montes urbes incensae rubere, de cacuminibus barbarae catervae descendere. A longinquo hymnus devotissimus auditur.*)
 LUCIFER (*ad se*)
 Hoc visu corpus horrescit parum,

Sed nonne homo est, quocum bellum gero?
 Ille absolvit, quod ipse non fero.
 1350 Frequenter iam vidi parem iocum.
 Si amissa erit gradatim gloria,
 Manebit sed crux sanguinaria.
 APOSTOLUS PETRUS
 Deus te exaudivit. – Circumspice,
 Terram depravatam vide renasci.
 1355 Hi pellibus vestiti barbari
 Ursinis, qui incendunt clara oppida,
 Equis quorum calcatur saeculorum
 Seges priscorum, et muri derelicti
 Templorum fient stabula, hi novo
 1360 Venas defectas implent sanguine.
 Et in circo qui psalmos cantitant
 Cor evellente saeva tigride,
 Novam ideam ferent fraternitatis,
 Necnon personae liberationis,
 1365 Quae terrarum orbem concussura erit. –
 ADAM
 Plus quaerere intellexi spiritum,
 Quam pulvino in tumentis gaudium
 Iners; cordis lente effusus cruor
 Libido est cunctis rebus altior.
 APOSTOLUS PETRUS
 1370 Tuum laborem, gloriam Dei
 Propone ergo tibi. Est quicumque liber,
 Licet proferre, quae insunt, omnia.
 Te unum praescriptum: caritas ligat.
 ADAM
 Ad arma ergo, porro, hortari nova
 1375 Pro doctrina, novum creare saeculum,
 Quod florebit virtute equestri, cuius
 Poesis feminae exaltata imago
 Futura sit, promotae altaribus.
 (*Petro conisus pergit.*)

LUCIFER

Adam, te impossibilia incitant,
1380 Viro quae digne gloriam parant!
Deo placent, quod ad caelos levant te,
1382 Et grata Satanae, quod spoliant spe.
(*Eum sequitur.*)

SCAENA SEPTIMA

Constantinopoli. Forum in quo nonnulli cives otiosi grassantur. – In medio domus patriarchae, a dextro claustrum monacharum, a laevo nemus. Adam uti Tancredus, aetate adulto, cum aliis equitibus ex Asia redeuntem exercitum crucigerum sub tropheis volantibus tympanis pulsus ducit, Lucifero uti armigero comitante. Vespere, deinde nocte.

CIVIS PRIOR

Caterva Barbarūm rursus venit.
Fugae dati claudamus ostia,
1385 Portas, ne praedam rursus concupiscant.

CIVIS POSTERIOR

Auferte feminas! turba haec ferox
Gynaeceis adsueta est satraparum.

CIVIS PRIOR

Nostraeque uxores sunt iuri triumphi.

ADAM

Cur nos sic fugistis? Consistite;
1390 Nonne hoc sacrum signum videtis, uno
Quod fratres nos iungit consilio? –
Lucernam fidei portavimus
In Asiam, doctrinam amoris, ut
Tot efferati mille milies
1395 Salutis sanctam ad cunam gratiam
Comprendant. Et vobis deest amor?

CIVIS PRIOR

Frequenter tali audita oratione
Statim incendebantur nostrae domus.
(*Abeunt.*)

ADAM (*ad equites*)

Videtin, ecce, detestabiles
1400 Fructus vexilli sancti acti manu

Praedonum foeda molientium,
 Vulgo impotenti blandientium
 Ignave, oblato se duce invocato. –
 Amici equestres! dum non inquinata
 1405 Honestas et sacrata laus Dei,
 Tutela feminae, virile virtus
 Nostro in spatha est, vocati nos sumus
 Refrenaturi hunc turpem daemonem
 Et ducturi, ut magnum atque nobile
 1410 Agat contra cupidines suas.
 LUCIFER
 Tancrede, pulchre dicis, at ducem
 Cum plebs te non plus credet – –
 ADAM
Spiritus
 Ubi est, victoria est ibi. Affligam. –
 LUCIFER
 At si illa item sit compos spiritus?
 1415 Ten demittes ad hanc?
 ADAM
Cur deferar?
 Nonne hanc extollere est honestius? –
 Loco arduo pugnae discedere
 Absente socio: aequae vile ac est
 Indignum non admitti socios,
 1420 Quod invidemus parti praemii. –
 LUCIFER
 En quantum idea magna vilior iam,
 Pro qua circi occidere martyres. –
 Hocne est personae liberatio? – –
 Miranda species fraternitatis. –
 ADAM
 1425 Noli irridere. – Me non gloriosam
 Sensisse doctrinam cave putes: est
 Vitae meae cupido. – Agat, sacro qui

Igni inflatus 'st, agendum est, se levantem
 Admittimus libenter, ensis ictus
 1430 In ordinem tollit. Sed ordinis sunt
 Opes servandae ferventi in tumultu.
 O iam adventaret tempus, o adesset!
 Tunc nostra absolvetur redemptio,
 Cum mole lapsa hac cuncta pura erunt. –
 1435 Sed desperarem adventare hanc diem,
 Ni magnum opus qui moverat, Deus
 Magnus fuisset ipse. – – Nonne, amici,
 Vidistis, quo modo reciperer.
 In turba urbis tumultuantis orbis.
 1440 Nihil relinquitur nisi movere
 Castra in nemus, sicut consuevimus
 Inter paganos. Dum res ordinentur
 Nostrae, pergatis, assequar cito,
 Suam praestabit quisque eques catervam.
 (*Exercitus crucigerum castra ponit.*)
 LUCIFER
 1445 O quam dolendum est pulchras notiones
 Tuas rursus famosum ferre malum,
 Extrinsecus rubrum, intus pulverem.
 ADAM
Sta!
 Nullamne credis iam in rem nobilem?
 LUCIFER
 Etsi credam, non credit gens tua.
 1450 Equestris ordo, quem tu collocas
 Velut Pharum marinas inter undas,
 Exstinguetur quondam, partim ruet,
 Viatori audaci rupes erit
 Infestior, quam quae non luxit unquam. –
 1455 Omnes, vivi qui exercent vim beantem,
 Peribunt tempore, atque spiritu
 Egresso, ut foeda putredo, cadaver

Letalia exhalans miasmata in
Mundo novo restabit germinanti. –
1460 En nobis temporum priscorum ita
Manet maiestas.
ADAM
Ordo dum ruat,
Perfundet fors vulgus doctrina sancta,
Sic nil pericli erit.
LUCIFER
Doctrina sancta. – –
O sancta vos doctrina perdit ipsa,
1465 Quocumque forte tempore invenitis:
Quod usque in partes finditis, secatis,
Acuitis, purgatis, expolitis,
Donec fiat dementia atque vinclum.
Exactae notionis non capace
1470 Mente usque eam tamen compellitis
Vestrum ad periculum, humana gens superba.
Vel ensem specta, aliquanto minor
Maiorve cum sit, entitate eundem;
Ad infinitum possumus sequi,
1475 Quid punctum exactum terminum facit?
Etsi invenis actutum sentiendo,
Cum non gradatim commutabitur. –
At cur contendo – fessus sum loquendo,
Iam paululum ipse tu circumspice.
(Cives nonnulli iterum apparent.)
ADAM
1480 Amici! Grex fessus meus petit
Refugium; urbe orbis fors Christianae
Prima non incassum.
CIVIS TERTIUS
Quaerendum at est,
Num peior paganis in haeresi sis.

CIVIS QUARTUS
Dic quid credas: an ὁμοούσιον
1485 Ἰομοιούσιον-νε?
ADAM
Haud intellego. –
LUCIFER
Unum refert: hoc noli confiteri.
CIVIS QUARTUS
Incertus est, doctrinam falsam habet.
COMPLURES
Abite, absimus, claudamus domus! –
Hos si quis accipit, sit anathema.
(Abeunt.)
(Patriarcha pompa comitante regia exit e domu sua, sequitur caterva monachorum haereticos catena vinctos ducentium; postremo milites et vulgus.)
ADAM
1490 Stupesco! – Sed dic, numquis satrapa
Superbus appropinquat insolensque? –
LUCIFER
Apostolorum successor, sacerdos
Summus.
ADAM
Vulgus vile hoc nudo pede,
Vinctos maligno gaudio assequens,
1495 Humilitatem mentiens, quid est?
LUCIFER
Monachi, Christiani cynici.
ADAM
Non vidi tale montibus meis
Priscis.
LUCIFER
Videbis; lepram serpere
Scis lente. Sed cave, ne laeseris
1500 Gentem virtute perfectam atque eo
Mage implacabilem.

ADAM
 Virtutis, o,
 Cuius compos gens est huiusmodi?
 LUCIFER
 Sui tormenti et abstinentiae,
 Tuus qua praeit in cruce magister.
 ADAM
 1505 Redemit ille sic mundum universum,
 At illi ignavi blasphemant Deum,
 Rebelles cuius spernunt gratiam.
 Qui in culicem arma gestat talia,
 In ursum audacter vir quibus ruit,
 1510 Insanit.
 LUCIFER
 Forte si isti culicem
 Ursum putant – potestatem hanc negas?
 Non, qui putent se fortes, ius habent
 In Orcum eos, qui gaudent, deiciendi? –
 ADAM
 Cerno atque non credo, Thomae modo. –
 1515 Constabo coram phasmate et videbo. –
 (*Procedit ante patriarcham.*)
 Pater! sancti sepulchri milites
 Via lassos, quietem quaesituros
 Tamen nos non recepit civitas. –
 Qui es tam potens, causam nostram iuva.
 PATRIARCHA
 1520 Fili, res ad minutas non vacabo,
 Me urbis salus Deique gloria
 Vocant haereticos ad iudicandos,
 Venenum qui spargunt zizaniorum
 Modo aucti, quos etsi extirpamus igni
 1525 Ferroque, fundunt vi nova inferi. –
 Sed si crucis vos estis milites,
 Cur quaeritis Saracenos remotos,

Hic hostis est infestior. Cito,
 Ad vicos horum, omnes excidite,
 1530 Delete infantem, feminam, senem!
 ADAM
 Sane non vis et insontes, pater. –
 PATRIARCHA
 Et serpens insons est, dum parvus est,
 Venenati aut cum dentes excidere,
 Num parcis illi?
 ADAM
 Certe est horridum
 1535 Delictum, quo tanta ira caritatis
 Ecclesia est incensa.
 PATRIARCHA
 Caritatem
 Non, fili! habet, qui blandit corpori,
 Sed qui reducit spiritum, si opus 'st,
 Per ensis aciem vel ignem, ad Illum,
 1540 Qui dixit non pacem, sed gladium
 Se in terram mittere. – Improba fide
 Ὁμοιούσιον illi praedicant
 In arcana doctrina trinitatis,
 Cum condidisset ὁμοούσιον
 1545 Ecclesia pro dogmate et fide.
 MONACHI
 Ad mortem, ad mortem, incensi sunt rogi! –
 ADAM
 Amici, mittite istud unum *iota*.
 Erit vitam immolare pulchrius
 In pugna forti pro sancto sepulchro. –
 HAERETICUS SENEX QUIDAM
 1550 Ne nos tentaris, Satana, fide
 Pro vera, ubi Deus vult, sanguinem illic
 Fundemus.
 MONACHUS QUIDAM
 A procax! vera fide?

HAERETICUS SENEX
 Nonne est Ariminensis synodus
 Pro nobis, multae et ceterae?
 MONACHUS
 Aviae
 1555 Errarunt. Nicaena atque iudicarunt
 Pro nobis verae cunctae synodi.
 HAERETICUS SENEX
 O factiosas! – Quam procaciter
 Tentatis nobiscum certare! Vel dic,
 Laeteminine ecclesiae patre uno,
 1560 Ut Ario duobusque Eusebis? –
 MONACHUS
 An unum habetis Athanasium?
 HAERETICUS SENEX
 Ubi sunt martyres?
 MONACHUS
 Vestros praeibant.
 HAERETICUS SENEX
 Sunt martyres pulchri, diaboli
 Fallacia ad mortem damnationis
 1565 Illecti. – Estis vos magna Babylon,
 Scortum, inquam, de quo Ioannes ait
 Casurum ex orbe terrarum fore. –
 MONACHUS
 Draco septinceps, vos et Antichristus,
 Vos de quibus Ioannes est locutus,
 1570 Mali, fallaces, Satanae sodales.
 HAERETICUS SENEX
 Voraces, latrones, adulteri, angues...
 PATRIARCHA
 Auferte eos, nimis sumus morati,
 Ad gloriam Dei, ferte ad rogos!
 HAERETICUS SENEX
 Ad gloriam Dei, bene es locutus,
 1575 Ad gloriam Dei hostia occidit. –

Potentibus vobis fit ut libet;
 Benen' sit factum, caeli iudicabunt. –
 Delicti vestri horae sunt computatae,
 Cruore nostro exsurgent milites
 1580 Novi, vivit doctrinae incensa flamma,
 Illustrabitque sera saecula. –
 Ad mortem gloriosam, porro, amici! –
 HAERETICI (*canunt in choro*)
 1. Deus, Deus meus, respice me, quare me
 dereliquisti? Longe a salute mea verba
 1585 delictorum meorum.
 2. Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies, et nocte,
 et non ad insipientiam mihi.
 3. Tu autem in sancto habitas -- (*Ps. XXII*)
 MONACHI (*interpellant in choro*)
 1. Iudica, Domine, nocentes me, expugna
 1590 expugnantes me.
 2. Adprehende arma et scutum et exsurge
 in adiutorium mihi.
 3. Effunde frameam et concludite adversus eos qui
 persequuntur me. (*Ps. XXXV*)
 (*Interea patriarcha cum processione praeterit, quidam monachi cum tractatibus inter crucigeros miscentur.*)
 LUCIFER
 1595 Quid stas silentio, dic, horreas quid?
 Viden tragoediam? puta ilico
 Comoediam, atque delectaberis. –
 ADAM
 Eheu, iocos mitte! – an potest adiri
 Mors sic deliberate ob solum *iota*? –
 1600 Ubi magnum est ergo, augustum quid est? –
 LUCIFER
 Id quod fors ceteris risum movet.
 Duae filo angusto uno notiones
 Pendent, vox una cordis iudicabit,
 Iudex arcanus hic est sympathia,

1605 Hunc ad deos fert, hunc risu necat. –
 ADAM
 Cur inspexi delicta haec omnia!
 Minutas pugnas doctrinae superbae,
 Venenum letale optime liquatum
 Ex flore almissimo, illustrissimo. –
 1610 Hunc florem quondam novi, tempore
 Quo persequebantur fidem tenellam:
 Quis vir scelestus hunc sic perdidit?
 LUCIFER
 In culpa ipsa est tantum victoria,
 Quae dispergit centena augetque lucra.
 1615 Periculum dat vires, martyres
 Creat, vocat; adest haereticis. –
 ADAM
 Vere vellem spatham meam abici,
 In arctoam redire patriam,
 Ubi silvarum antiquarum per umbras
 1620 Virile virtus, simplex castitas
 Veneno temporis tersi resistit;
 Susurraret ni vox obscura mi
 Opus me esse hoc ad aevum recreandum.
 LUCIFER
 Conatus vani. Contra saeculum
 1625 Persona singularis non valebit:
 Est saeculum fluxus, mergitve fertve,
 Vir quisque non regit, verum natat. –
 Omnes quos magnos dicunt chronica,
 Hi qui valent, comprehendunt saeculum,
 1630 Sed non novas creant hi notiones.
 Non ob cantum galli lux appetit,
 Sed quod lux appetit, gallus canit. –
 Qui compede gravati festinant
 Risu circumdati ad martyrium,
 1635 Unum vestigium porro vident
 Solum, inter illos mens micat nova;

Pro mente illa cadunt, quam poster
 Securi inhalant una cum aere. –
 Mittamus haec, videque castra paulum,
 1640 Ut monachi vagentur sordidi,
 Quantos agant mercatus, gestibus
 Quam vesanis dicant orationes. –
 Hos audi.
 MONACHUS (*inter crucigeros tumultuantes*)
 Bellatores, sumite!
 O sumite artem paenitentiae
 1645 Ductricem inter vitae omne dubium,
 Quae vos docet, quot annos parricida,
 Adulter, templi praedator latro,
 Periurus infernis passura sit.
 Docet ditem cum viginti aureis
 1650 Tormenta compensare anni unius,
 Et pauperem tribus posse aureis.
 Quique omnino nil possunt solvere,
 Et cum plagarum flagri milibus. –
 O sumptu sumite hunc carum librum! –
 CRUCIGERI
 1655 Cedo! – Nobisque, sancte, da, pater! –
 ADAM
 A! venditor male, emptor peior. Ensem
 stringe, has deturba foedas nundinas!
 LUCIFER (*in confusione*)
 Da veniam, hic vetus mihi sodalis
 Frater. Neque illa vita taedio est mi;
 1660 Cum me quasi levaret gloria
 Dei, simul levavi memet ipse.
 Tu tantum paulum in imis es relictus.
 (*Eva ut Isaura eiusque famula Helene eiulantes ad Adam
 ruunt nonnullis crucigeris compulsi, qui ilico abrepunt.*)
 EVA (*corruens*)
 Vir fortis, salva me.

ADAM (*amplexus illam levat*)
 Hic es tuta, era,
 Redi ad sensum. Leva pulchros ocellos.
 1665 Quam fascinantes! – Quidnam illi accidit?
 HELENE
 Fruebamur amoenitate ruris
 Nostri horti sub silvestri tegmine,
 Sedentes securae virenti in herba,
 Lusciniam audientes et sequentes,
 1670 Nitere ocellos cum duos feroci
 Libidine in dumeto cerneremus.
 Nos territae damus fugae, prope
 Nos assequentibus crucigeris
 Quattuor anhelitu et plosa pede,
 1675 Dum te adveniremus.
 ADAM
 Num te velim
 Expergisci; an linques me, somni imago?
 Possit caro facta esse spiritus,
 Tam nobilis, tamque esse veneranda? –
 LUCIFER
 O facta spiritus caro! – Nequiret
 1680 Sane magis punire sors amantem
 Pro mente capta, quam, quae congerat
 In amores, expletis omnibus. –
 ADAM
 Te suspicor quondam mihi esse notam,
 Simul stetisse ad solium Dei nos.
 LUCIFER
 1685 Per omne sacrum te rogo, memento
 Tuum esse amorem delectabilem
 Solis vobis, insulsum at tertio.
 ADAM
 Me respicit – ridet, grates Deo!
 EVA
 Eques, salvasti me; qui gratias dem?

ADAM
 1690 Labri tui vox praemio uberi est.
 LUCIFER (*ad Helenen*)
 Est vile praemium, nactus neque hoc sum? –
 HELENE
 Ecquas tibi deberem gratias?
 LUCIFER
 Putasne nobilem et servasse te
 Ducem equestrem? Quanta est haec vanitas.
 1695 Eques si quando salvat domnulam,
 Salvabit famulam certe armiger.
 HELENE
 Quid usui est? Aut grata ero (nihil
 Priore differt hoc calamitate),
 Aut ingrata, hancque ob rem damnata ero. –
 1700 Nec foedi erant quattuor, sunt qui insecuti.
 ADAM
 Iube me, quo ducaris, o era.
 EVA
 Coram nobis stat claustrum ianua.
 ADAM
 Claustrumne dicis? O sed ianua
 A me spem non secludit, an secus?
 1705 Signum mi da, quod affigam cruci,
 Me haec cum vocet pugnandi ad munera,
 Ut illud reddat visus somnii
 Pulcherrimi, ne taedeat per annos
 Longos spectare in fine praemium. –
 EVA
 1710 Vittam cape. –
 ADAM
 Hanc vittam, ut noctem, nigram? –
 Spem postulo, spem, non dolorem, era!
 EVA
 Hoc porto signum, non possum alterum.
 Claustrum intra muros non spes gignitur.

ADAM
 Neque est istic amor. Sed quo loco
 1715 Tu es, quin amor vigeret, o puella!
 Vestis probat te adhuc non monialem.
 EVA
 Ne torqueas me quaestionibus,
 Tormentum mi est dolorem in te videre
 Augeri. –
 LUCIFER
 Et te secludet murus iste?
 HELENE
 1720 Ita, at clavis non iniecta est mari.
 LUCIFER
 Malum – quantam elegiam fabricarem
 De casu tristi. –
 HELENE
 Abi, lascive tu!
 LUCIFER
 Quin magna fabula est me sub mari
 Imo demergi clave pro tua?
 HELENE
 1725 O non tantam cupivi rem.
 LUCIFER
 Iam abibo. –
 In me frendent profundi beluae.
 HELENE
 Redi, redi ad me perditam timore –
 Ne sic fiat, clavem ponam in fenestra. –
 ADAM
 Sine sciam nomen saltem tuum,
 1730 Sciam quid inseram precationi,
 Tibi orans benedici non sinenti,
 Doloris fati ut fiam particeps.
 EVA
 Isaurae nomen est. Tibique, eques?
 Monialem magis decet precari.

ADAM
 1735 Tancredus ipse.
 EVA
 Tancrede, o vale.
 ADAM
 Isaura, ne relinquo tam cito,
 Aut devovebo nomen, quod mihi
 Valedicens primum pronuntiasti. –
 Breve hoc momentum est et pro somnio,
 1740 Qui posthac degam, si arcanum maneres
 Tui nec possem fila cara fati
 Intexere? –
 EVA
 Ergo audi fatum meum.
 Pater – sepulchri sancti miles ipse –
 Feroci ab hoste ferro, igni petitis
 1745 Castris, ut quadam nocte rugiebant,
 Cum non remansit ulla spes salutis,
 Votum suscepit virgini beatae
 Me, tunc infantem, si redire posset,
 Oblatum iri sibi. Regressus ille est,
 1750 Ego autem hoc pro voto sacra hostia
 Communicabar.
 ADAM
 O mater sacra!
 O incarnata pura caritas,
 Non aversa es laesa atque offensa tali
 Voto impio, virtutibus tuis
 1755 Notam quod peccatorum inureret,
 Quod devoveret caeli gratiam? – –
 HELENE
 Tu non meum vis fatum noscere?
 LUCIFER
 Immo novi iam: amasti, fraude capta es,
 Amasti denuo, et fraudata tu es.

1760 Amasti rursus – amorum taedit te;
 Vacat tuum cor pro novo inquilino. –
 HELENE
 Mirum! iuvat te fors diabolus?
 Tamen te non putabam tam pudentem,
 Qui crederet meum cor *nunc* vacare.
 LUCIFER (*ad Adam*)
 1765 Citatim, ere! ut nequis tu dicere
 Vale, abstinere ego victoria.
 ADAM
 Isaura! verba cuncta cor veru
 Pungunt. Era, ictus mitiga osculo.
 EVA
 Eques, quid vis – sacramentum audiisti.
 ADAM
 1770 Amari numne a memet tu vetaris?
 EVA
 Beatus tu es; qui oblivisci ipsa possum?
 Tancrede, viribus defessa cedo.
 Ave et vale – tete in caelis videbo.
 ADAM
 Ave et vale. – Mea est memoria huius
 1775 Diei. –
 (*Eva claustrum intrat.*)
 HELENE (*secreto*)
 Cuncta agam ipsa, ignave tu?
 (*clara voce*)
 Erit clavis non in mari: in fenestra.
 (*Evam sequitur.*)
 ADAM (*ad sensus rediens*)
 Eamus ergo!
 LUCIFER
 Sero – praeterit! –
 Viden quam demens sit genus tuum,
 Modo instrumento est usus bestialis

1780 Cupidinis muliere et pruina
 Poeseos manu abstergit feroci
 Eius de vultu, privans floribus
 Ipsum se amoris formosissimis;
 Modo aris ut deam colit suam,
 1785 Nequiquam pugnat, fundit sanguinem,
 Sterile dum flaccescit osculum. –
 Quin aestimat colitque ut feminam,
 Sibi assignato matronae loco.
 (*Interea omnino advesperavit, luna exorta Isaura et
 Helene in fenestra videntur.*)
 EVA
 Quanta cupidine spectans tremebat,
 1790 O ante me fortissimus tremebat,
 Sed virtus muliebris, fides iubet –
 Hic interibo, ut sancta victima.
 HELENE
 Mirandum est, quam demens nostrum genus sit!
 Si omittit praesumptas opiniones,
 1795 Voluptati, bruta ut fera, irruit,
 Avellit vultu velum prisca honoris,
 Contempta se volutat in luto.
 Nisi mittit, suam expavescens umbram,
 Flaccente gratia steriliter,
 1800 Suum, alterius gaudium abripit. –
 Quin media via grassatur? aut quid
 Coniunctio tenella, incepta amoris
 Nocent modeste interdum? non liquet.
 Nam femina est non solus spiritus.
 EVA
 1805 Helene, prospice, an stet usque ibi.
 Quo pacto posset tam tranquille abire?
 O audiam vocem eius ultimum.
 ADAM (*ad Lucifer*)
 Circumspice, an stet usque apud fenestram,
 An mittat conspectum mihi ultimum?

1810 O spectem proceram ultimum figuram –
Isaura! ne me hic stare maereas.
EVA
Pro ambobus nobis hic non stare debes.
Non difficulter cor ruptum coit,
Si rursus rumpitur, rursus dolemus. –
ADAM
1815 Annon times silentem sic videre
Noctem, velut cor, palpitantem amore,
Dum amare nobis solis non licet?
Annon times fascinata abripi? – –
EVA
Et in me, ut somnia, haec evanida
1820 Ex caelo fors in mundum sparsa, vivunt;
Carmen bellum fusum est fluxu aeris,
Ridere specto mille genios
In frondibus fraternis osculis,
Neque ad nos, Tancrede, unquam plus loqui. –
ADAM
1825 At cur, cur! murone hoc vili retentor? –
Qui tot praedas ex paganis abegi,
An hoc vallum non possum transgredi? –
LUCIFER
Non certe, quod defendit saeculi mos
Valentior te.
ADAM
Numquis dicit, heus?
(In parte postica scaenae flamma rogi incenditur.)
HAERETICI *(in choro, procul)*
1830 21. Erue a framea animam meam,
et de manu canis unicam meam.
22. Salva me ex ore leonis,
et a cornibus unicornium humilitatem
meam.
1835 23. Narrabo nomen tuum fratribus meis:
in media ecclesia laudabo te.

EVA
Animis parce noxiis, Deus! –
ADAM *(abhorrens)*
Carmen horrendum!
LUCIFER
Est vester hymenaeus.
ADAM
Nil interest. Sit! non horrebo ego.
1840 Pro te resistere omnibus queo.
MONACHI *(in choro, procul)*
26. – – induantur confusione et
reverentia qui magna loquuntur super me.
27. Exsultent et laetentur qui volunt
iustitiam meam; et dicant semper: Magnificetur
1845 Dominus, qui volunt pacem servi eius.
*(Choro hoc incipiente Adam iam usque ad portam claustrii
progressus resistit, in turri noctua ululante strigae per
aera volitant et ex humo exsurgit sceletus ante portas, et
minaciter coram Ada constat.)*
EVA *(fenestram vehementer obserans)*
Deus iuva!
SCELETUS
Relinque limitem
Sacrum.
ADAM
Monstrum, quis tu?
SCELETUS
Sum qui omnibus
Inest tibi osculis, complexibus. –
STRIGAE *(cachinnantes)*
Amara frux dulcis sementis,
1850 Columba, ovi incuba serpentis.
Isaura, te vocamus!
ADAM
O figuras

Quantas! An vos, an ipse sum immutatus?
 Mihi subridentes vos noveram.
 Quid est hic verum quidve somnium?
 1855 Languescunt fascinata bracchia. –
 LUCIFER
 O quam dulces sodales repperi
 Forte. Exspecto diu opportunitatem,
 Honestum pulchrumque hoc agmen strigarum,
 Quod sane nymphas indecentia
 1860 Nudas longe antecedit, hunc senem
 Commilitonem, mortem monstruosam,
 Quae, virtutis taetrae distorta imago,
 Facit terrenis esse hanc taedio.
 Saluto vos! Noctem sermone vestro
 1865 Consumere otio aegrum est me nequire. –
 (*Phantasmata evanescent.*)
 Tancrede, surge, Tancrede! obserarunt
 Fenestram amores; cur in nocte stemus?
 Ventus friget, podagram lucro habebis.
 Et quid fiet, si adsit cito Helene?
 1870 Non forte dedit Satanus se amori?
 Esset derisui per saecula,
 Sic perderet potestatem suam ipse. –
 Quam mira res, homo calente corde
 Amorem ardenter imprecans dolorem
 1875 Tantum invenit – Satanus vix potest
 Gelato corde elabi temperi.
 ADAM
 Duc, duc novam ad vitam me, Lucifer!
 Sequens ideas sacras proeliabam,
 Vili in cognitione quae perirent:
 1880 Homo Dei pro gratia immolatus 'st,
 Ad ideas replendas degener.
 Voluptatem facturo nobilem me
 Peccati stigma inusta est gaudio;

Equestris a me constituta virtus
 1885 Mi ipsi defixit cor. Peto novum orbem;
 Satis demonstravi, quantum valerem,
 Qui possem pugnare et possem abstinere
 Me, cedere est loco non dedecus. –
 Ne quidquam me deinde inflammarit unquam;
 1890 Volvatur mundus, ut volvi velit,
 Rotarum non gubernabo vias,
 Haud mente turbata lapsus videbo.
 Sum defessus – volo tantum quietem. –
 LUCIFER
 Ergo quiesce. At vix putare possum
 1895 Tibi otium vi mentis inquieta
 1896 Permissum iri. Adam, me veni secutus.

SCAENA OCTAVA

Pragae, in hortis domus imperatoriae. Ad dextram trichila, ad laevam turris astronomicus, ante quam maenianum amplum cum mensa Kepleri, sella, instrumentis astronomicis. Lucifer ut famulus Kepleri in maeniano videtur. In horto aulici et matronae aulicae catervatim ambulant, inter quos et Eva ut Barbara, uxor Kepleri. – Imperator Rudolphus et Adam ut Kepler in colloquio immersi stant. In parte postica scaenae rogos haeretici cuiusdam ardet. Vesperascit, postea nox venit, duobus aulicis in parte antica scaenae ambulatibus.

AULICUS PRIOR

Quis rursus illic se calefacit,
Haeticusne an striga est?

AULICUS POSTERIOR

Nescio.

1900 Mea nil refert, non iam moris est,
Vulgus modo iam circumdat rogos.
Neque id deliro gestit gaudio,
Tacens sed spectat, secreto fremit.

AULICUS PRIOR

Mea quidem aetate hoc festum fuit,
Frequentabant quod aula et nobiles.
1905 O, depravantur prisca tempora. –
(*Praetereunt.*)

LUCIFER

Delector igne vesperi algido,
Diu sane, diu mi fert teporem.
Ne sit brevi iam exstinctus, est timendum,
Non quem decretum deleret virile,
1910 Non cessurus sententiae novae,
Sed quod sit nemo aetate neglegenti,
Novis qui lignis scintillas alat.
Ego algebo! – Sane omnes notiones

Magnae minuto corruunt modo. – –

(*Exit in turrim.*)

(*Rudolphus et Adam prodeunt in partem anticam.*)

RUDOLPHUS

1915 Horoscopium mi compone, Kepler
– Malis tremisco visis somniis –,
Quibus coniuncturis sint sidera.
Apparuit modo in quorum area,
Ad Serpentis caput, signum nocivum.

ADAM

1920 Fiet, domine, sicut exigit.

RUDOLPHUS

Si praeterierint dies gradales,
Et magnum opus redintegrabimus,
Quod nuper nobis irritum fuit.
Hermetem Trismegistum iam relegi,
1925 Clavem Salomonis, Synesium,
Albertum, Paracelsum, ceteros,
Donec quid peccassemus, invenirem.
Ut calefecimus regem senem,
Corvus leoque apparet rubeus,
1930 Mercurius duarum duplicatus
Planetarum coniunctione prodit,
Sal sapientum descendit. Sed ignis
Fefellit humidus nos, sicca aqua,
Hanc ob rem non finis decusque facta
1935 Sunt, matrimonium illud chemicum,
Senis quod infundit venis iuventam,
Metallum livens reddit nobile.

ADAM

Auguste, comprehendi.

RUDOLPHUS

Amplius velim te
Paucis. Vagatur fama prava in aula,
1940 Te ad doctrinas novas haesisse, sanctae

Ecclesiae pensare dogmata;
 Immo nunc cum capitis crimine
 In carcerem datam, ut maleficam
 Taetram, matrem tuam vis liberare
 1945 Sic indefessus, obstinatus instans,
 Suspectus ipse fis dignissime.

ADAM
 Auguste! namque eius sum filius.

RUDOLPHUS
 Ecclesia est, mi fili, verior
 Mater tibi. Hoc saeculum bonum est, ut est,
 1950 Ne conere emendare id inscius. –
 Te an non perfudi gratia mea?
 Bene scis patrem cauponem fuisse,
 Indisputabilem a me nobilem, etsi
 Non parvo cum labore, redditum te,
 1955 Nostram ad sedem levatum, Barbaraeque
 Müller pulchrum conubium assecutum.
 Ergo dico iterum: fili, cave.
 (*Exit.*)
 (*Adam cogitabundus restat apud scalas maeniani, duobus
 aulicis prodeuntibus.*)

AULICUS TERTIUS
 Astrologus viden qui cogitet?

AULICUS QUARTUS
 Urget misellum usque aemulatio.
 1960 Sane non circulo adsuevit novo,
 Utut conetur, plebeios olet.

AULICUS TERTIUS
 Eques verus qui adoret feminam
 Velut numen, tenere non potest,
 Offerri posse sanguinem suum,
 1965 Si honorem eius petat calumnia; –
 Is finem clandestinum suspicatur.

EVA (*cum alia caterva veniens aulicis his duobus iungitur,
 et flabello suo umeros aulici secundi concutit*)
 Eques, abi – pro di! ‘ o miserere,
 Confecta risu sum tuis iocis. –
 Ecce hi duo quam mire sunt severi. –
 1970 Affeceritne et vos iam spiritus
 Detestatus Deo rerum novarum?
 Abeste mi tunc! Gentem non fero
 Talem, quae tristi melancholia
 Mundum nitentem, tranquillum invidet
 1975 Nobis, excogitans novum.

AULICUS TERTIUS
 Attinet
 Non nos crimen, carissima o era, hoc;
 Quis mutari quid hoc circo velit?

AULICUS PRIMUS
 Nisi fallor, sed stat quidam vir illic,
 Vultu suo gerens haec atra signa.

EVA
 1980 Miser maritus? – pro di, domini,
 Huius rei accusare parcite
 Eum me coram, cui ligat iugum me
 Sacrum. – Ille aegrotus est – aegrotus aegre.

AULICUS SECUNDUS
 Nitentibusne aegrotat his ocellis
 1985 Visis?

AULICUS TERTIUS
 Verene is, quod nemo audeat,
 Laedat suspicione te invida? –
 O mittere eius, tamquam eques tuus,
 In os audacis digitale possem!
 (*Interea ad Adam perveniunt.*)
 Magister! convenisse commodum est,
 1990 Velim meos ad fundos proficisci,
 Te indicium caeli rogo!

AULICUS PRIMUS
 Equidem
 Scire optem sidus filii mei.
 Hac nocte est tertia vigilia
 Natus.
 ADAM
 Parata erunt mane, o eri.
 AULICUS QUARTUS
 1995 Convivae discedunt, et nos eamus.
 AULICUS TERTIUS
 Hic scalae pandunt – o era, vale.
 (*susurrans*)
 Post unam horam.
 EVA (*susurrans*)
 Dextrorsum in trichila.
 (*clara voce*)
 Valetate eri! Iohanne care, eamus.
 (*Cunctis digressis Adam et Eva in maenianum cedunt, Adam in sella considit Eva coram eo stante. Usque magis vespescit.*)
 EVA
 Iohanne, opus mihi pecunia est.
 ADAM
 2000 Neque as manet mi, iam omne dissipasti.
 EVA
 Me egestatem aeternam pati est opus?
 Nitent pares pavonum feminae aulae,
 Inter quas paene me pudet venire.
 Re vera cum arridentes, annuentes
 2005 Dicunt mihi quidam forte aulici
 Eas inter reginam me vigere,
 Tui me paenitet, tali modo
 Qui collocas reginam aulae suae.
 ADAM
 Laboro nonne noctes et dies?
 2010 Pro te scientiam prodo meam

Contaminoque caeli indicium
 Fingens, horoscopium inutile,
 Quod mente concepi, condo abditum,
 Enuntio quod falsum comperi.
 2015 Et erubesco, qui sim vilior
 Factus Sibyllis, quae quod prodidere
 Oraclum, credebant, nec credo ego.
 Id committo tibi indulgens tamen.
 Ubi congesta est merces criminis?
 2020 Nam nulla mundi re mihi est opus,
 Nisi nocte et stellis nitentibus,
 Sphaerarumque arcanis harmoniis,
 Reliqua sunt tua. – At plerumque cum
 Vides fiscum imperatoris vacare,
 2025 Solvunt crebro petenti neglegenter.
 Et quod nunc mane acceptabo, tuum est,
 Tamen tu es ingrata, hoc me paenitet.
 EVA (*lacrimans*)
 Mine obicis, quid obsecres mihi,
 Nonne obsecravi et ipsa sat tibi?
 2030 Ego cum nata nobili domo
 Futurum dubio iunxi meum
 Honori, nonne in ordinem altiore
 Per me advenisti? Ingrate, num negas? –
 ADAM
 Scientia et mens dubiine honores?
 2035 An est obscura origo radius,
 Ex caelo qui tangit meum cacumen?
 Quid praeter hunc est vere nobile?
 Quod vos vocatis nobile, est caduca,
 In pulverem ruens, vita relicta
 2040 Pupa, at meum est semper vigens, recens. –
 O si comprehenderes me, femina,
 Si spiritum meo cognatum haberes,
 Ita ut putavi primis osculis,

In me superba esses, non quaereres
 2045 Tibi absque me beatitudinem,
 Non omne in te quod dulce est, proderes
 Huic saeculo, neque omne quod amarum est,
 Reservares foco familiae. –
 O te infinite amavi, femina.
 2050 Et nunc te amo, sed a! ‘ aculeatum
 Mel, quod consedit in corde, est amarum.
 Piget videre, cor quam nobile esset,
 Si femina esses; nil te reddidit sors,
 Quae feminam tamquam idolum tenet,
 2055 Equestre saeculum quam deam tenebat,
 In illam credebant, magnum aevum erat,
 Nunc nemo iam credit nanorum in aevo,
 Sub idolo latet tantum scelus. –
 Evellerem cor, a te separarer,
 2060 Etsi dolens, forte otium invenirem,
 Tuque absque me beatior vigeres;
 Sed rursus ordo iam existens obest:
 Auctoritas – vox nostrae ecclesiae;
 Dum mors solvat, simul pati est opus.
 (*Caput in manus demittit Eva commote mulcente.*)
 EVA
 2065 Attat Iohanne, tam aegre ne feras,
 Si forte quid nonnumquam garrio;
 Te contristare nolui. Vide,
 Quam miranda aula sit, quam sint superbae
 Et deridentes eius feminae,
 2070 Repugnare illis quo modo audeam?
 Nonne omnis ira evanuit? vale –
 Ne oblitus mane sis pecuniae.
 (*Descendit scalis in hortum.*)
 ADAM
 O quanta mixtura est mali, boni
 Liquata femina ex melle et veneno.

2075 Cur attrahit tamen nos? proprium eius 'st
 Bonum, sed saeculi est, quo nata est, scelus.
 Heus famule!
 (*Lucifer cum lanterna venit, quam in mensa ponit.*)
 LUCIFER
 Eccum, me iube, magister.
 ADAM
 Indicio caeli et nativitate
 Opus mihi est, fac ilico pares.
 LUCIFER
 2080 Sane nitentem, clare lucidam;
 Auro quis veritatem duram emat.
 ADAM
 Nec talem, quae vix vera creditur.
 LUCIFER
 Puto non posse me invenire verba,
 Quibus fortasse offendantur parentes,
 2085 Novi nati omnes nonne Messiae sunt?
 Luces, stellae apparent parentibus,
 Post dum auferent in consuetos procaces.
 (*Scribit.*)
 (*Interea Eva ad trichilam pervenit; aulicus tertius ei obvium se dat.*)
 AULICUS TERTIUS
 Me quamdiu facis languere, dura.
 EVA
 Putasne fors pati te maxima,
 2090 Cum perfers auras noctis frigiditas,
 Dum ego optimum maritum nobilem
 Fraudor, traho in me, ut caeli sanciant
 Et saeculum iudicet pro te me, eques?
 AULICUS
 O caeli sanctio et ius saeculi
 2095 Non pervadunt obscuram hanc pergulam.
 ADAM (*cogitabundus*)
 Cupivi aevum, quo non pugnare opus

Pro quaquam re, quo consuetum meatum
 Civilis ordinis non laederet
 Quisquam, praesumptam hanc sanctam opinionem,
 2100 Quietus, aequo ridens animo
 Quo vulneri longae pugnae mederer. –
 Aevum appetit, sed quid preti est? viget
 In corde spiritus – sacra et dolenda
 Humanae stultae genti hereditas
 2105 Caeli –, quae actura non sinit quietem,
 Repugnat gaudio quae desidi. –
 Heus famule! infer vinum, nam tremo;
 Gelat saeculum hoc, inflammari est opus.
 Hoc nanorum aevo tolli spiritum sic
 2110 Opus 'st, evelli sorde pulveris. –
*(Lucifer vinum infert, quod Adam usque ad finem scaenae
 potat.)*
 O! infinitum caelum, pande, pande
 Mihi sacrum arcanum, librum tuum;
 Tuam iam paene legem speculatus
 Aevi obliviscar circa me omniumque.
 2115 Omne id caducum est, dum tu sempiternum,
 Exaltas tu me, dum omne id decutit. –

AULICUS

O si te habere possim, Barbara!
 Maritum si avocet tuum Deus,
 Ibi ut caelos comprehendat rectius,
 2120 Pro qua re tota in vita nisis est.

EVA

Eques, tace! misellum tam dolerem,
 Te ut non basire possem in lacrimis.

AULICUS

Eludis me tu.

EVA

Contra vera dicam.

AULICUS

Quis arcanum hoc comprehendet pectoris?
 2125 Non ergo sic me amas tu, Barbara!
 Vel dic, si forte sim mendicus, exul,
 Tuo pro sectatore quid agas? –

EVA

Hoc tempore id vere non scire possum.

ADAM

O venietne, neglegentiam quod
 2130 Duram resolvet, aevum, vi nova
 Acturum restabit scrutis vetustis,
 Prodibit ut iudex, vindex, levamen,
(Se levat et titubans ad extremum maenianum vadit.)
 Non instrumentis maximis repugnans
 Oclusam audebit vocem edicere,
 2135 Quae sicut ingens moles provoluta
 Progradietur fatali via,
 Contundens fors illum, a quo dictum erit.
(Numeri Carminis Marsiliani audiuntur.)
 Futuri carmen audio, audio,
 Vocem inveni, amuletum maximum,
 2140 Terram senem quod reddet iuniorem:

SCAENA NONA

Scaena repente in forum Grève Lutetiae mutatur, maenianum in tribunal securis labentis dictae guillotine, mensa scriptoria in ipsam securim labentem, apud quem Lucifer ut carnifex stat. Adam ut Danton in extremo tribunali populo orationem habet. – Tympanis pulsus numerus tironum apparet veste admodum pannoso, ad tribunal ordine constans. Dies apricus.

ADAM (*sermonem continuans*)

Fraternitas, aequalitas, libertas!

TURBA

Et mors illis, quicumque has abnuunt!

ADAM

Idem dico ipse. – Verba nunc duo

Salvant oppugnatam undique ideam,

2145 Omnes bonos ciemus altero ex his

Surguntque: ‘Patria in discrimine!’

Et altero tonamus in scelus:

‘Terremini!’ – hac voce et delentur illi. –

In nos surrexerunt reges, caputque

2150 Regis nostri obviam illis iecimus,

Sacerdotes surrexere, atque fulgur

Manibus illorum extortum est reposto

Sensu communi longe persecuto

In sedem. Nec frustra alterum sonavit

2155 Verbum, bonis quod dixit patria.

Exercitus defendunt undecim

Fines, usque heroum ruit iuventus

Ad explendum occisorum fortium

Locum. Quis saevienti insania

2160 Decimatam iri dicat nationem?

Ferventi ex aere scoria excidit,

Pars nobilis superstat purior.

Etsi sumus vere saevi et cruenti,

Existimemur monstra, sit meum

2165 Nomen sacrum, nil curo, dummodo

Sit libera atque magna patria. –

TIRONES

Modo arma nobis, arma da et ducem!

ADAM

Bene est, bene! Arma tantum postulatis,

Quamquam rebus tot et tantis caretis,

2170 Nudo pede et pannosis vestibus,

Sed cuspide omnia occupabitis,

Nam viceritis. Est invicta plebs.

Nuper dedit supplicium imperator

Quidam, qui sivit se atque milites

2175 Nostros devinci.

TURBA

Quantus proditor! –

ADAM

Dixisti recte. Nil opum nisi

Cruorem habet plebs, liberalitate

Tam prodiga quam patriae libat. –

Et qui gazae potitur populi

2180 Sacrae neque hac quit occupare mundum,

Est proditor. –

(*Ex tironibus procedit tribunus.*)

TRIBUNUS

Me pone eius loco,

O civis, exstinguamque dedecus.

ADAM

Amice, laudanda est fiducia

Tua, at sponde servaturum fidem

2185 Prius te proelii in campis.

TRIBUNUS

Inest

In spiritu meo ista sponsio,

Necnon habetur et mihi caput,
 Quod plus valet fors, quam quod decedit.
 ADAM
 Vadem da te laturum hoc, si petam.
 TRIBUNUS
 2190 Vadumne plure, quam me ipso est opus,
 Vitam meam qui pro nilo putem?
 ADAM
 Non est iuventutis sic cogitare.
 TRIBUNUS
 O civis, ultimum te provoco. –
 ADAM
 Tranquille nunc, et terminum assequeris.
 TRIBUNUS
 2195 Non fesus in me, ut cerno, disce me
 Existimare, civis, rectius. –
(Glandem in suum caput mittit.)
 ADAM
 Eius me paenitet, dignus fuit
 Hostili telo. Amici, auferte corpus. –
 Valete victoresque ad nos redite!
(Agmen tironum procedit.)
 2200 O essem vestrae sortis particeps. –
 Sed pugna mi data est nec gloria,
 Non hostis per quem et decidi est honestum,
 Sed qui clam me aucupatur in latebris
 Dolos nectens sacratae patriae. –
 TURBA
 2205 Hunc nobis indica, mortem assequetur!
 ADAM
 Quos indicare quivi, mortui sunt.
 TURBA
 Quid ad suspectos? – Qui suspectus est,
 In noxa est iam, notavit populi
 Sensus, vates, qui falli non potest. –

2210 Porro ad mortem, mortem patriciorum! –
 Ad carceris descendamus cavernas,
 Et iudicemus sacro iure plebis.
(Turba in carceres proficisci vult.)
 ADAM
 Nil est periculi ibi, robur serarum,
 Aer tabescens mentem, vim necans
 2215 In foedere est vestro; linquamus illos.
 Irrident proditores impudenter,
 Sicae Conventus in sellis latent.
 TURBA
 Ite in Conventum, non adhuc sat est
 Expurgatus. – *Post in Conventum eamus,*
 2220 In carcere exercebimur prius. –
 Interdum proditorum nomina
 Conquire, Danton!
(Turba minax exit. Interdum quidam plebeii dicti sans-culotte marchionem iuvenem quendam et Evam sicut sororem eius ante tribunal trahunt.)
 SANS-CULOTTE QUIDAM
 Ecce istic duo
 Patricii afferuntur iuniores,
 Vultus superbus, vestis alba culta
 2225 Clare demonstrant horum crimina!
 ADAM
 Quam nobilis iuventus. Scandite huc.
 SANS-CULOTTE
 Nos autem contubernales sequamur,
 Nostrum ad laborem, caedem proditorum.
(Plebeii dicti sans-culotte cum cetero vulgo exeunt. Nonnullis modo custodibus circum tribunal remanentibus iuvenes ascendunt.)
 ADAM
 2230 Quis scit, trahar quam inclinatione
 Ad vos? Salvabo vos meo periculo.

MARCHIO
 Non sic, Danton, si simus noxii,
 Nos non damnando prodas patriam;
 Si non item, abnuamus gratiam
 Vanam.
 ADAM
 Quis tu, sic Dantonem allocutus? –
 MARCHIO
 2235 Sum marchio. –
 ADAM
 Resta – an tu forte nescis
 Praeter *civis* nil esse dignitatis?
 MARCHIO
 Non audiavi abolesse dignitates
 Regem meum.
 DANTON
 Infelix, instare noli,
 Auscultat te forte et securis ista. –
 2240 Adsciscere armis nostris cursu honorum
 Tibi pendente.
 MARCHIO
 Haud permisit mihi rex,
 O civis, adscisci armis exteris.
 ADAM
 Tunc morieris.
 MARCHIO
 Gente de mea
 Uno plures pro rege morientur.
 ADAM
 2245 Cur audax in mortem ruis?
 MARCHIO
 Putan
 Illustre hoc privilegium dari
 Solis vobismet, plebeiis viris? –
 ADAM
 Resistin mi? resistam ego tibi.

Te contra te servabo – quis valet plus?
 2250 Exstincto partium favore mi
 Beatius futurum gratias
 Dabit pro spiritu hoc. – Cohors urbana!
 Domum meam hunc. Reddenda ratio est.
 (*Nonnulli ex cohorte urbana armati abducunt marchionem.*)
 EVA
 Frater, sta firme!
 MARCHIO
 Ave et vale, soror. –
 (*Exit.*)
 EVA
 2255 Et hic caput quoddam, haud peius Rolando.
 ADAM
 Labris tenellis, dura verba, abeste.
 EVA
 Tenella vox non pegma supplici
 Decet.
 ADAM
 Tribunal horridum hoc meus
 Est circulus. Te ingressa pars eo
 2260 Descendit caeli et ut fanum, tenet me.
 EVA
 Ad aram ducentes non victimam
 Sacerdotes habebant risui.
 ADAM
 Sum victima ipse, crede, proh, mihi.
 Etsi ob potestatem mihi invidetur,
 2265 Mortem vitamque temnens, gaudii
 Expers contemplor sedem regiam,
 Quotidie unde consortes cadunt,
 Et exspecto, dum sint partes meae. –
 Tanto in cruore solitudine angor
 2270 Praesentioque, amor quam sit bonus. –
 O femina, unum me diem doceres

Doctrinam caelestem – animo darem aequo
 Postridie caput meum securi. –
 EVA
 Horrendone in mundo isto vis amare,
 2275 An non terreris conscientia? –
 ADAM
 Vulgare culpae conscientia
 Est privilegium; quem fata agunt,
 Circumspectando non unquam vacat. –
 Ubi resistere audisti procellam
 2280 Oscillante obviam rosa tenella? –
 Porro, sat audax quis foret virum
 In publicis versatum iudicare?
 Quisnam videt filum, quod in theatro
 Mundi regit Brutum atque Catilinam?
 2285 Putamus illum, de quo fama fertur,
 Desisse humanam ad gentem pertinere,
 Mutatumque esse in naturam supremam,
 Cuius non intersint centum minutae,
 Despectae res, quotidiana cura. –
 2290 Eheu, ne credas – cor et in throno
 Pulsatur, Caesarem fortasse amores,
 Amarit si quam, non norat nisi
 Ut pusionem carum, haud suspicata
 Ab illo terreri terram et quati. –
 2295 Sin autem sic, dic, dic, me quaen ames?
 Annon es femina, annon ipse vir sum?
 Fertur cor odisse atque amare, prout
 In mundum natus secum iam tulit:
 Hoc cor tuo cognatum sentio,
 2300 Comprendin eius vocem, femina, annon? –
 EVA
 Quid ad rem, si comprehendo? Duceris
 Ab altero deo ac cordis mei est.
 Non possumus consentire invicem unquam. –

ADAM
 Relinque ergo obsoletas notiones,
 2305 Cur offers exsuli votum deo?
 Nam feminae modo ara convenit,
 Quae non senescit unquam – cor ea est.
 EVA
 Et aram possunt martyres relictam
 Servare. O Danton, est augustius,
 2310 Si custodit ruinas pietas,
 Quam si nove ortam imperium salutat;
 Magisque hoc munus feminam decet.
 ADAM
 Non est homo, sentire molliter me
 Qui viderit; nunc si hostis aut amicus
 2315 Videret me, quem sors flabro coegit
 Ad mundum purgandum, velut procellam,
 Restare supplici in loco, puellam
 Amaturum parvam, fletu flagrantem:
 Casurum Dantonem praediceret,
 2320 Rideret, nec quis inde me timeret. –
 Mihi tamen spei auram comprecor.
 EVA
 Placatus spiritus si ultra sepulchrum
 Cruentum pulverem terrae exuit,
 Potest –
 ADAM
 Ne plus, ne plus, puella, dicas,
 2325 Non credo in Elysi locos ego istos,
 Meo cum fato luctor spe sine. –
(Turba arma cruenta gerens, capita quaedam cruenta hastis portans, saeviens redit. Nonnulli tribunal ascendunt.)
 TURBA
 Diiudicatum! – Quam superba fuit gens.
 SANS-CULOTTE QUIDAM *(anulum Dantoni praebens)*
 Ecce anulus pulvino patriae.

Quidam scelestorum in manum dedit,
 2330 Cum sicam in eius collo ponerem.
 Nos illa gens existimat latrones. –
 Adhuc tu vivis? – i fratres secuta. –
(Evam sica transfigit, quae de parte postica tribunalis decedit.)
 ADAM *(oculos manibus obtegens)*
 Heu, finit! – Fatum, quis te vinceret?
 TURBA
 Nunc in Conventum. Civis, tu rege. –
 2335 An nomina indagasti proditorum? –
(Turba de tribunali decurrente Eva uti plebeia incitata, vestis pannosis, apparet ex tumultu, et altera manu sicam, altera caput cruentum tenens ad Dantonem ruit.)
 EVA
 Hunc coniuratorem, Danton, vide!
 Necare te conantem ego interemi.
 ADAM
 Hoc si loco stetisset firmius,
 Malum fecisti; sin minus, bene. –
 EVA
 2340 Bene est factum, peto nunc praemium:
 Noctem mecum cuba, vir maxime.
 ADAM
 Quae tali in pectore inclinatio?
 Quae blandimenta muliebris tigris?
 EVA
 Vere et tu, civis, esse patricis
 2345 Adscitus curialibus videris,
 Typhi in delirio vel fabularis. –
 Vir es tu, femina ipsa iuvenisque,
 Ad te fert, maxime, admiratio.
 ADAM *(secreto)*
 Usque horresco devertunturque ocelli.
 2350 Hoc phasma monstruosum non fero.

Quam mira par est eius! – Angelum
 Qui noverat, viditque postea
 Lapsum, vidit forte aequam visionem.
 Iidem vultus, sermo formaque,
 2355 Tota ipsa, sed tantillum parvulum,
 Ut non describi possit, inde dest,
 Quantumque tota imago discrepat! –
 Defensam gloria illam non potitus
 Hanc horreo infernos ob halitus. –
 EVA
 2360 Quid tecum dictitas?
 ADAM
 Hunc calculum:
 Non tot me habere noctes, femina,
 Quot proditores sunt in patria.
 TURBA
 Porro in Conventum, nomina modo illos.
(Interdum Robespierre et Saint-Just aliique Conventus viri cum turba altera veniunt tribunalque subito compositum ascendunt.)
 SAINT-JUST
 Qui nominaret, complex primus ille est. –
(Turba fremit.)
 ADAM
 2365 Mene audes, Saint-Just, accusare, nescin,
 Quam sim potens? –
 SAINT-JUST
 Fuisti tu prius,
 In plebe. Sed sapit plebs cognito te,
 Sancitque Conventus sententiam.
 ADAM
 Non iudicem alterum novi super me
 2370 Ac plebem, et plebs amica mi est, scio.
(Iterum fremit turbae.)
 SAINT-JUST
 Tibi qui amicus, hostis patriae est.

Te iudicat plebs augustissima,
 Accuso patriae te proditorem:
 Portori falsi in publicis bonis
 2375 Consentiendique optimatibus,
 Item cupidinis tyrannidis.
 ADAM
 Cave Saint-Just, tonans te vox mea
 Deturbat. False accusas. –
 ROBESPIERRE
 Ne sinatis
 Loqui: anguem scitis linguae lubricae esse.
 2380 Prendatis, libertatis nomine. –
 TURBA
 Perito, ne audiamus, ne audiamus.
 (*Circumdantes eum comprehendunt.*)
 ADAM
 Ne me audiatis; ipse ne audiam
 Crimen falsum vile. Alter alterum non
 Sermone vincimus. Robespierre,
 2385 Immo haud factu vicisti, praevenis me
 Modo, haec summa est rerum, ne gloriaris.
 Fuit sat pagnarum – ipse tela ponam. –
 Sed ilico te provoco, ut tribus
 Me mensibus sequaris hac via. –
 2390 Cautē, qui caedas, carnifex, Gigantem!
 (*Caput sub securim labentem nectit.*)

SCAENA DECIMA

Omne repente redditur velut in scaena octava fuit, Adam rursus ut Kepler, capite in mensam demisso videtur, Lucifero ut famulo adstante et umerum eius quatiente. Lux prima appetit.

LUCIFER
 Omittitur nunc decollatio. –
 ADAM (*surgens*)
 O quo loco sum, quo sunt somnia?
 LUCIFER
 Cum crapula avolarunt, o magister.
 ADAM
 Hocne aevo vili tantum crapula
 2395 Creat res magnas pectori senili?
 Quanti patebant mi visus ocellis!
 Caecus, qui non sentit flammam Dei,
 Etsi luto cruoreque illitam.
 Quam culpam ingentem virtutemque habebat,
 2400 Ambaeque quantum admirandae fuerunt,
 Nam ambae notam gesserunt virium. –
 O cur experrexi? aevi ut vilitatem
 Circumspectans comprehenderem magis,
 Ridenti sub vultu culpas latentes,
 2405 Virtutes fictas consuetudinis. –
 LUCIFER
 Novi tales molestias ego,
 Post crapulam quae mane nos salutant.
 EVA (*prodiens e trichila*)
 Abes mi, abes! non ergo me fefellit,
 Quod praesensi: me provocas necare
 2410 Virum. Tanti facinoris capacem,
 Quam cordis numen mentiris, putas.

AULICUS
 Pro di! tranquille, amores, concitas,
 Si reprehendimur, offensionem.

ADAM
 Visusne somni et illae erant duae?
 2415 Sed quid loquor? duabus in figuris
 Una ad fati vicissitudines,
 Ut unda, nunc nitet, nunc nigricat.

EVA
 Sic, tantum offensio refert tua,
 Quid interesset abditum scelus,
 2420 Absens a reprehensione eques tu! –
 Eheu, qui deludetis feminam,
 Donec priscam virtutem virginalem,
 Opinionem ut praesumptam, relinquat,
 Ridenti contemptu dein aestimatis
 2425 Instrumentum vobis vile esse culpae. –
 Abes mi, abes, ne posthac viderim te.

AULICUS
 Modum rursus excedis. Ludibrio
 Fiemus tractantes quotidianam
 Causam sollemniter. – Videbimus
 2430 Nos invicem, ridentes, garrientes,
 Nullo prodentes verbo, quid sit actum.
 Vale nunc, o era! –
 (*Exit.*)

EVA
 Sceleste tu! –
 Eccam me cum peccato et lacrimis.
 (*Exit.*)

ADAM
 Fuit ergo somnium finitque iam.
 2435 Nec totum finit! Ideae valent
 Plus quam vilis materia. Hanc potest
 Vis rumpere, illae vivent sempiternae.

Sacras mihi ideas evolvere
 Auguste clarioresque usque, dum
 2440 Mundum impleant, etsi lente, videbo.

LUCIFER
 Magister, provolat dies, docendi
 Adest hora, excitata est iam iuventus
 Scientiae tibi arreptura voces.
 (*Turri astronomicae aptato tintinnabulo concinit.*)

ADAM
 Ne rideas me, o ne derideas,
 2445 Scientiam laudatus erubescam.

LUCIFER
 Annon doces tot insignes alumnos?

ADAM
 Eos docere non, domare possum
 Modo, verbis, quae non intellegunt,
 Nec sapiunt ad hoc illudve agendum.
 2450 Vir inscius stupet putatque nos
 Verbis pulchris genios exciere;
 Re vera nil, nisi est hoc machina
 Ad obtegendam artem deceptionis.
 (*Discipulus quidam citato gradu venit et maenianum ascendit.*)

DISCIPULUS
 Magister, me dignasti ad te vocare,
 2455 Scientiae ut impleretur cupido,
 Ut inspectarem causas altius
 Rerum, quam ceteris rectum putas.

ADAM
 Sic, sic, excellis diligentia
 Ita, ut dignus sis iure huius favoris.

DISCIPULUS
 2460 Eccum, mi spiritus cupidine
 Tremit videndae naturae officinae.
 Intellegendi et rectius fruendi,

Regnandi cum sensu praestantiae
 In mundo corporali et spiritali.
 ADAM
 2465 Nimis magnum cupis. Pusille mundi,
 Qui percipis visu ingens universum? –
 Regnum, fructus, intellectum petis.
 Ni pectus pondere hoc dilaberetur,
 Haec assecutus cuncta esses Deus. –
 2470 Minus pete, et fortasse id assequeris.
 DISCIPULUS
 Quodvis scientiae arcanum revela,
 Mihi quidem lucro est, vir maxime,
 Quod sentio nihil sentire me.
 ADAM
 Bene est ergo, te dignum comperi,
 2475 Penetralique immitto te abdito,
 Vide verum, quod ipse video.
 An non auscultat auditor profanus?
 Nam verum est hoc mortale et horridum,
 Si in vulgus exit nostro saeculo.
 2480 Venturum est tempus – o iam nunc adesset –,
 Cum in quadrivis, foro tractabitur,
 Non plebs cum aetate puerili erit. –
 Manum da sanciens non proditurum
 Te, quod comprehendas. – Sic – ergo audias. –
 DISCIPULUS
 2485 Cupidine atque horrore quam tremo –
 ADAM
 Quid mi, fili, locutus es modo?
 DISCIPULUS
 Re vera nil sentire me.
 ADAM (*caute*)
 Viden?
 Nec me scito – vel crede neminem.
 Scientia illarum est tantum poesis

2490 Rerum, nil notionis quarum habemus. –
 Et inter ceteras piissima est
 Doctrina, quae secum ludat tacens,
 In mundo, quem pingunt portenta mentis.
 Sed ceterae sunt mensura sine,
 2495 Severo quae ore ducunt lineam
 In pulvere, hanc dicentes verticem,
 Et circulum fanum; rides fere
 Comoediam, dum recte intellegas,
 Quam sit severus horrende iste lusus.
 2500 Nam dum trementes omnes pectoris
 Angore pulveris vitant figuras,
 Locis quibusdam insidiae latent,
 Audacem transgredi raptant cruentum.
 Dementiam talem usque obsistere
 2505 Nobis vide, sacratam pietatem
 Pro defendendo exstanti imperio. –
 DISCIPULUS
 Comprendi, comprendi, sicne usque erit
 In aeternum?
 ADAM
 Hoc olim ridebitur.
 In publicis quem magnum diximus
 2510 Virum, sumus quem mirati orthodoxum –
 Mimum fuisse posteri putabunt,
 Si quando in eius procedet locum
 Verum, simplex et naturale magnum,
 Quod non saltat nisi super scrobem,
 2515 Viamque dat, si qua campus patet.
 Doctrinam, quae nunc ad delirium
 Ducit sua complexitate, tunc
 Nemo discet, scient omnes tamen.
 DISCIPULUS
 Haec ergo est lingua intellecta omnibus,
 2520 Qua sunt apostoli quondam locuti. –

Etsi sint scruta cetera omnia,
 Tamen ne demas artis mi fidem,
 Ad quam docendam praecepto est opus.

ADAM
 Perfectio artis prima et optima est,
 2525 Ut nemo animadvertat, sic latere.

DISCIPULUS
 Opus 'st constare ad duram veritatem?
 Opusculo dant spiritum ideae.

ADAM
 Ita est, ita est, perfundunt ideae
 Ingenio, creaturamque vivam
 2530 Reddunt aequamque naturā, ideis
 Carens quod arte factum mortuum est.
 Numquid times, naturam maximam
 Vivam tuis ideis decipi?
 Quiescant sed praecepta, exempla mitte.
 2535 Cui vires insunt, quem numen colit,
 Sermonem habebit, sculpet vel canet,
 Movebit cor et flens dolore, et ridens
 Voluptatis sopitus crapula.
 Finem assequetur et novis viis. –
 2540 Opusque eius praecepto dat novo
 – Erit fors compedi, numquam sed alis –
 Abstractio genti posthac pusillo. –

DISCIPULUS
 Magister, dic, agendum quid mihi sit.
 Qui tot noctes scientiae immolavi,
 2545 Modon' stulti sum factus par, laborne
 Hic omnis est incassum perditus? –

ADAM
 Non perdidisti, eo nam ipso licet
 Omnes iam temnere eius illecebras.
 Qui non stetit coram periculo,
 2550 Si cedit, ignavus 'st. Bello peritus

Miles cavillatorem praeterit,
 Non fortitudo suspecta est ei. –
 Rape ergo membranas has decolores,
 Omnes mucore infectos codices,
 2555 Et inice igni, nobis qui eximunt
 Potestatem nostro gradi pede
 Ipsorum, nobis parcunt cogitare.
 Saeclorum dilapsorum errata portant
 Novum in mundum, praesumptam opinionem.
 2560 Consumant flammae! in apricum diem
 Perge. Usquen' discis, quid sit canticum,
 Qualis sit silva, vita dum aufugit
 Inclusa muris gaudio sine?
 Longen' duraturam vitam putas,
 2565 Theorias qui discas ad sepulchrum?
 'Vale' simul nos diximus scholae,
 Te ducat ad carmen iubarque solis,
 Quae gaudium ferunt, florens iuventus;
 Me tu duc, custos anceps spiritus,
 2570 Mundum in novum, qui progressurus est,
 Mentem si excelsi ceperit viri,
 Voce instruens latentem libera
 2573 Sensum, detestatis ruptis ruinis. –

SCAENA UNDECIMA

Londinii. Forum inter castrum Tower et Tamesim, ubi varia multitudo scatet et clamorem tollit. Adam velut vir senior in quadam castris turri cum Lucifero stat. Vesperascit.

CHORUS (*coalitus ex murmure frementis multitudinis, numeris suppressa voce sequentibus*)

Gurgites vitae fremendo
2575 Mundum ipsius quisque agit,
Num doles illo cadendo,
Hic times si astra incutit? –
Singulos vulgo modo iri
Absorptum, modo times
2580 Occisurum hunc eminentem
Unum mille milies.
Pro poesi nunc pavescis
Crasque pro scientiis,
Ordinis stricti dum habenis
2585 Undas terminare vis.
Quamvis certes et labores,
Nil aquam nisi excipis
Risum, fervore, fremore
Augustissimi aequoris.
2590 Hoc sine effervere: vita
Terminabit ipsa se.
Nil in luctibus peribit,
Usque priscum est et novum usque.
Carmen fascinans vide.

ADAM

2595 Id est, id est, quod semper deperibam,
Adhuc dum in dumeto est cursus meus.
Coram specto nunc totam stare vitam,
Quam pulcher certare hortatur sonus!

113

LUCIFER

Pulcher, superne, ut in templo chorus;
2600 Voces raucae, singultus, gemitus
Ferruminantur in melodiam,
Dum in altum scandunt. – Sic audit Deus,
Eoque se optime putat creasse.
Secus sed audiuntur in profundis,
2605 Interdum pulsibus cordis locutis.

ADAM

Incredule irrisor, nonne omnibus,
Per quos torquebas me, est hic pulchrior
Mundus collis vallibus vetustis,
Larvis fugatis horridis, futuro
2610 Quas tempus legat gloriā sacratā
Vetus: crucem devotam hereditatis.
Cursus patet cordi certaminis,
Nec per servos munitur pyramis. –

LUCIFER

Neque audiisses tam superne ibi,
2615 In Aegypto, serviles eiulatus,
Quibus sine ut divinum factum opus!
Nonne aut digne divinitusque Athenis
Populus egit augustissimus
Magnum et sibi gratum immolans virum,
2620 Cum si secus fuisset, urbs periret:
Si tam superne spectamus, remoti
muliebri fletu, rebus vilibus.

ADAM

Tace, tace, sophista sempiternae.

LUCIFER

Etsi esset luctus vere emortuus,
2625 Tamen sunt facta tam plana omnia. –
Ubi excelsum invitans? ubi horrida ima?
Ubi dulcis vitae varietas?
Mari luctanti non iam splendidae undae,
At est palus segnis, referta ranis. –

114

ADAM
 2630 Pro quīs commune sentio bonum.
 LUCIFER
 In alta sede et tu sic iudicas
 De vita, quae circum pedes scatet,
 Velut Clio de antiquo tempore,
 Fugit quam rauca vox et nenia
 2635 Recordantem carmen lapsi modo aevi.
 ADAM
 O Satanas iam garrit fabulose,
 Aut fingit ideas; ut progredimur!
 LUCIFER (*castrum digito monstrans*)
 Nihil mirare, qui stes temporis
 In phasmate antiqui, at mundo in novo.
 ADAM
 2640 Mea quid refert putidum hoc tribunal?
 Audax immergam me mundo novo
 Nihil timens, quin mentis magnum opus,
 Reperiam poesin inter undas. –
 Forsan nihil plus, ut caeli tremant,
 2645 Titanum proeliis ita eminet,
 Eo magis fascinans et beatus
 Mundus suo orbe profertur modesto.
 LUCIFER
 Vanus metus fuisset huic timere
 Sane, quod dum materia exstat ulla,
 2650 Hanc ut neget bellumque ut inferet,
 Potestas consistit mea. Usque dum
 Cor mortales habent, mens concipit,
 Ordo rerum obsaepit cupidines,
 In regno spiritūs negatio,
 2655 Vivet poesis, mentis magnum opus.
 Dic nos cuiusmodi portare formam
 Velis in turba mersuros frementi,
 Nam sic non possumus nisi hoc loco esse
 Circumdati magni aevi somnio.

ADAM
 2660 Qualemvis formam. Fati gratia
 Nil eminet iam. Ad vulgus nos oportet
 Deferri, ut norimus, quid corde portet.
(Ambo descendunt in intimum castrum, nec multo plus egrediuntur per ostia vestiti ut operarii. – Mimus apud tugurium suum stat, super quo catena vincta simia veste rubra sedet.)
 MIMUS
 Huc, huc, spectatores grati optimi,
 Venite: mimus extemplo incipit.
 2665 Comoedia est haec iucundissima:
 Quonam modo serpens deceperit
 Primam atque curiosam feminam,
 Quonam modo haec iam tunc illexerit
 Virum in malum. – Videtis simiam,
 2670 Hominem quae cum dignitate fingat,
 Videtis ursum saltandi arbitrum.
 Huc, huc, spectatores grati optimi! –
(Turba circa tugurium excitur.)
 LUCIFER
 O Adam! de nobis hic fabula,
 Nonne est pulchrum partes habere tales,
 2675 Quas post sex milia annorum relapsa
 Ridere non iuventus desinit. –
 ADAM
 Iocos ineptos tolle. – Porro, eamus.
 LUCIFER
 Iocine inepti? ut rideant, vide,
 Modo qui dormiebant in scholis
 2680 – Lecto Nepote – pueri rubelli.
 Numquis dicat, uter sit verior,
 Expergiscientium qui virium
 Vitam intrat conscientia, cerebro
 An qui contaminato inde egreditur? –
 2685 Magis tibi num Shakespeare placeat,
 An illis deformis confusio?

ADAM
 Ipsam *deformatem* non fero.
 LUCIFER
 Adhaesit in vita Graeca tibi.
 Vide me filium patremve, si vis
 2690 – Neque hoc discrimen est in spiritus
 Mundo – stili novi Romantici
 Ipsa delectari deformitate.
 In vultu humano gestus simiae;
 Res augustae luto parvo illitae;
 2695 Sensus perversi in gausapi modesto;
 Scortum loquens pudoris ore honesto;
 Pusilli et pravi idololatria;
 In gaudium ecfututi opprobria
 Viri: regnique perditum immemor
 2700 Renascor his rebus recentior. –
 MIMUS (*umerum Adae incutiens*)
 Cur has tenetis sedes occupatas?
 Trifurcifer, nemo gratis, nisi qui
 Se vitae taesum suspendit, iocatur.
 (*Adam et Lucifer paulum secedunt. Puellula violas venditans venit.*)
 PUELLULA
 Violas parvas, primos nuntios
 2705 Veris gratissimi! ‘ O obsonate!
 Hic flosculus dat orphanis cibos,
 Pulchrum dat ornamentum et pauperi. –
 MATER QUAEDAM (*violas obsonans*)
 Da, da mi, in fili mortui manum.
 PUELLA QUAEDAM (*item violas obsonans*)
 Comae nigrae decus pulcherrimum.
 PUELLULA
 2710 Violas parvas! – Obsonate, eri!
 (*Eos praeterit.*)
 MERCATOR GEMMARUM (*in tugurio suo*)
 Adhuc certare nobis hoc scelus,

Nec posse tolli ex elegantia! –
 Quamquam nisi unio, collum venustum
 Decet nil, pro qua, qui elevaverit
 2715 Quondam cum desperata audacia,
 Profundi monstra temptarit maris. –
 (*Duae ingenuae virgines veniunt.*)
 INGENUA PRIOR
 O quanta texta, quot gemmae decorae!
 INGENUA POSTERIOR
 Si quis pararet ut pusilla dona.
 INGENUA PRIOR
 Viri qui nunc vivunt non haec parant
 2720 Nisi ad consilia admodum indecora.
 INGENUA POSTERIOR
 Cupido hos sed fert nec iam ad indecora:
 Rupere eam scorta, acipensis ova.
 INGENUA PRIOR
 Ut nos non sumat, inde ita est superbus.
 INGENUA POSTERIOR
 Vel ut non audeat iam, ita est ineptus.
 (*Praetereunt.*)
 (*Caupona sub trichila, operarii mensis circumfusi comissantur, remote quidam cantant et saltant. Milites cives cuiuscunque status homines commixte laetantur vel stant desides.*)
 CAUPO (*inter hospites*)
 2725 Laetamini, hesternus fugit dies,
 Numquamque crastinum, hospes, occupas,
 Alit Deus sed in caelo alites,
 Ut Biblia aiunt, omne est vanitas.
 LUCIFER
 Placet mihi illa sapientia.
 2730 Nunc considamus hoc scamno, sub umbra,
 Visuri quam bene et quam viliter plebs
 Malo cantu laetetur, lora acerba.
 OPERARIUS PRIMUS (*apud mensam*)
 Opus ’st infernale, inquam, machina:

Ex ore nobis eripit cibum.
 OPERARIUS SECUNDUS
 2735 Sis immemor, dum non potum auferat.
 OPERARIUS PRIMUS
 At dives – daemon, sanguinem bibit
 Nostrum. Veniret nunc! remitterem
 Ad ima. Ut nuper, exemplum daret.
 OPERARIUS TERTIUS
 Quid usui esset? Pendebit statim ille,
 2740 Et nostra volvet Parca, ut antea.
 OPERARIUS SECUNDUS
 Garritis stulta, adsit iam dives ipse,
 Nil inferam damni sedenti apud me,
 Videbimus, quis bacchetur prior.
 CAUPO (*ad Adam*)
 Hospes, quid inferam?
 ADAM
 Nihil.
 CAUPO
 Meum ergo
 2745 Scamnum relinquite, o nequam viri.
 Putatin me furari forte nummos,
 An mendicare velle liberos?
 ADAM (*surgens*)
 Hoc dicere audes?
 LUCIFER
 Mitte hunc impudentem.
 ADAM
 Eamus ergo, quid spectemus, ut
 2750 Homo relabatur in bestiam.
 LUCIFER
 O hic quod multo quaero tempore,
 Tandem gaudemus salse, commode.
 Nonne hic cachinnus, hic pedum fremor,
 Incendium illud ignis bacchanalis,
 2755 Quod omnium in genas rosas ciet,

Ut stulta somnia in miseria,
 Sunt gloriosa?
 ADAM
 Taedium mihi.
 (*Interea ad saltantes perveniunt. Duo mendici inter se iur-*
gantes veniunt.)
 MENDICUS PRIOR
 Meus 'st locus cum privilegio.
 MENDICUS POSTERIOR
 Misericors sis, me aut fames necat,
 2760 Duabus septimanis non laboro!
 MENDICUS PRIOR
 Non ergo es mendicus purus putus,
 Nequam, artis imperite! Vigiles! –
 (*Mendicus posterior abrepit. Prior locum suum accipit.*)
 Per quinque Christi vulnera, stipem
 Misello offerte, grati domini! –
 (*Miles quidam e manibus artificis puellam, quacum saltat,*
eripit.)
 MILES
 2765 Cede, agrestis puer! – putasne forte
 Plus quam nihil tete esse?
 ARTIFEX
 Senties,
 Ni credis.
 ARTIFEX ALTER
 Noli tangere, huic recede:
 Potestas eius est et gloria.
 ARTIFEX PRIOR
 Ain? cur ergo addit superbiam,
 2770 Cum sanguinem bibat nostrum ut hirudo.
 MERETRIX (*cantans*)
 Aureum olim erat levatum
 E draconis ore malum –
 Gignuntur mala his diebus,

Mortuus 'st draconum fetus:
 2775 Spectant, spectant usque multi,
 Qui non carpere audent stulti. –
 (*Ad iuvenem quendam nititur.*)
 LUCIFER (*immersus spectaculo bacchantium*)
 En haec mihi placet lascivia;
 Dives qui est, ostendet suas opes.
 In arca, cui avarus insidet,
 2780 Sit sub seris arena aurumve, quis scit? –
 Movet me pubedae aemulatio!
 Ut servat nictus singulos puellae
 Suae, scit, quanti momentum preti sit,
 Haud nescius – sed quid curet – lacertis
 2785 Viri alterius nisuram in futuro.
 ADAM (*ad cantorem quendam*)
 Cur tractas tam male artem, vir bone?
 Ipsi tibi num, quod canis, placet?
 CANTOR
 O qui placeret! infinita poena est
 Hoc cantare usque et interdum videre
 2790 Iacchantes quo pacto hac gaudeant re.
 Per somnos iam hic manat sonus ferus.
 Sed quidnam agam? vivendum est, hoc datur mi.
 LUCIFER (*usque spectaculo immersus*)
 A quis putet iuventutem fugacem
 Excellere tot sapientia. –
 2795 Scit haec puella non hora ultima
 Voluptatis frui in vita sua se,
 Amplexa hunc, iam necessitudinem
 Novam quaerunt ocelli. – O cara proles!
 Mihi qui ridentes datis labores,
 2800 Quanto affecistis me nunc gaudio!
 Peccato, egestate hoc remunerero.
 ARTIFEX POSTERIOR (*cantans*)
 Qui laboris post dies

Cor habet, carmen pium,
 Salutatur vinum, osculum,
 2805 Irridet diabolium. –
 (*Ultimae harmoniae chori cuiusdam ecclesiastici
 audiuntur. Eva ut virgo ingenua, manibus librum precum et
 sarta tenens una cum matre ex ecclesia exit.*)
 PROPOLA QUIDAM
 Huc, huc veni, venusta cara virgo!
 Nemo est, tibi qui vendat vilius.
 PROPOLA ALTER
 Cave credas vetusta merce, falsa
 Huic regula uso – huc, huc, venusta virgo!
 ADAM
 2810 O Lucifer! me quam vili loco
 Retentas, dum salus iam facta corpus
 Mihi vix impercepta provolat.
 LUCIFER
 Sane res non ullo modo est nova. –
 ADAM
 Ecclesia exiit, o quam pulchra, pulchra!
 LUCIFER
 2815 Ut spectaretur et spectatum iit.
 ADAM
 Hoc frigido ioco ne tangito,
 Cui in labris resedit pietas.
 LUCIFER
 Conversum te puto, immo pietistam.
 ADAM
 Iocum quam pravum! Ut sit frigidum mi
 2820 Pectus, meum est damnum; sed in puellae
 Corde opto praesumptas opiniones,
 Sacram poesin, vocem aevi relapsi,
 Hunc intactum colorem flosculi. –
 LUCIFER
 Quis sit, monstra, pars denique illa caeli –
 2825 Noli exspectare vel diabolium

Iudicium semper tuum indagare,
 Sat est eum quamvis post comparare.

ADAM
 Numquis potest, nisi illa femina, esse? –

LUCIFER
 Et picus verme capto sic ait
 2830 Et invidens circumspicit putans
 Sese optimum cibum captasse mundi,
 Visum tamen cum taedio a columba.
 Et sic homo unius suam salutem
 Sibi invenit – forte hoc ipso loco,
 2835 Ubi vir alter effecit sibi Orcum.

ADAM
 Quis virtus, virginis quae dignitas;
 Illi vix appropinquare audeo.

LUCIFER
 Sic fortiter, non tiro es arte amoris,
 Vide recte: matura erit viro iam.

ADAM
 2840 Tace!

LUCIFER
 Et fors ceteris sucosior.
*(Interea iuvenis quidam modeste ad Evam accedit et ei panc-
 restarium figuram cordis reddens tradit.)*

IUVENIS
 Era, hanc, quaeso, manu mea accipe
 Munusculum pusillum corde grato.

EVA
 Arthur, memor mei es, o quam es bonus.

MATER
 Quin visas nos, longe non vidimus te.
*(Voce suppressa colloquuntur, Ada excitate spectante, dum
 iuvenis abit.)*

ADAM
 2845 Habet forte ille immaturus puer,
 Quam frustra cor virile concupiscit –

Quantum ridet, quam adfatur intime –
 Manu dat signum – pro dolor, dolor! –
 Necesse es alloquar. –
(Ad Evam appropinquat.)

MATER
 Dites parentes
 2850 Concedo esse Arthuris, sed nescio,
 Secundine hanc necessitudinem
 Spectent. Non ergo omnino abieceris,
 Qui his te sertis donavit, aemulum.

ADAM
 Permittite, o erae, satellitem,
 2855 Ne quid vos laedat in turba, ire me.

EVA
 Quam est inpudens!

MATER
 Procax moleste, abes!
 Putan forte hanc talem esse virginem,
 Cui blandiatur quivis libere? –

ADAM
 Quis possit non blandire? – Somniavi
 2860 Sic virginis perfectam imaginem.

MATER
 At somnia, quidquid tibi placet;
 Sed cui florebit aevum virginis
 Huius, non talis furcifer erit. –
*(Adam conturbatus restat, hariola quaedam ad Evam acce-
 dit.)*

HARIOLO
 Gratissima o virgo, miracula mundi,
 2865 Sine aspici parvam manum tuam albam,
 Fati manus, da copiam loquundi,
 Qui sint ornaturae vitam beatam.
(Palmas eius inspiciens)
 Compar te exspectat pulcher – o prope est –,

Partus, valetudo, divitiae.
(Nummis donatur.)
 LUCIFER *(Adam manu designans)*
 2870 Soror! profer fatum mei sodalis. –
 HARIOLA
 Non clare cerno, crux sit an fames. –
 ADAM *(ad Evam)*
 Ne abieceris me tam crudeliter,
 Hoc sentio cor esse mi creatum. –
 EVA
 Mater, ne siveris –
 MATER
 Ni nos relinquis,
 2875 Voco vigiliam.
 EVA
 Ne laeseris – fors
 Sapit, nec quid re vera offendit ille.
(Praetereunt.)
 ADAM
 Poesis sacra, tota evanuisti
 Ex hoc mundo prosae sic dedito?
 LUCIFER
 Evanuit nullo modo! vel umbra
 2880 Vitis, saltatus, pancrestaria,
 Quid sarta erant? ne sis fastidiosus,
 Satis manent subiecta somnii.
 ADAM
 Quid usui est? lucri repit lubido
 In his avara praemii, immemor
 2885 Preti nusquam est magnificentia.
 LUCIFER
 Scholae nonnumquam in scamnis invenitur,
 Ubi suum non egit vita opus.
 Quidam opportune assunt tales sodales. –
(Scholastici quidam ambulantes veniunt.)

SCHOLASTICUS PRIMUS
 Laete, sodales, mucor est relictus,
 2890 Viriliter nunc delectabimur.
 SCHOLASTICUS SECUNDUS
 Eamus rus, urbem fastidio,
 Strictum ordinem, rem mercatoriam.
 SCHOLASTICUS TERTIUS
 Conemur rixam inferre nesciocui,
 Virile hoc oblectamentum excitabit.
 SCHOLASTICUS PRIMUS
 2895 E conducticiorum bracchiis
 Puellas raptemus, movebiturque
 Bellum ilico; rus cum illis ibimus,
 Aes sufficit ad psaltrias, parum
 Cervisiae; genas inter rubentes
 2900 Reges triumphum agemus usque noctem.
 SCHOLASTICUS QUARTUS
 Clarum est, clarum est senum bilem movere.
 SCHOLASTICUS PRIMUS
 Sodalitatis vinclis artius
 Nexis – delectari, ut nunc possumus,
 Olim dum certantes pro patria
 2905 Campo constemus gloriosiore.
(Eos praetereunt.)
 ADAM
 Est visus gratus in palude mundi,
 Quem germen aevi opinor pulchrioris.
 LUCIFER
 Videbis quid, germen cum germinarit,
 Foret scholae decusso pulvere.
 2910 Duo officinae prodeunt magistri
 Qui iuniores idem ac hi fuere.
(Duo officinae magistri colloquentes veniunt.)
 MAGISTER PRIOR
 At certamen iam ferre vix queo,

Cum viliora omnes desiderent,
 Mercis naturam corrumpi est opus.
 MAGISTER POSTERIOR
 2915 Mercedem pensi demitti est opus.
 MAGISTER PRIOR
 Nullo modo potes, tumultuantur
 Iam, quod vitam non possint degere,
 Canes, et quodam forte iure dicunt;
 At quis praecepit illis nubere,
 2920 Quis liberos sex praecepit creare?
 MAGISTER POSTERIOR
 Opus 'st exerceri illos durius,
 Laborent altera ergo parte noctis
 In officinis, altera est quieti
 Sat, si cui somnium est inutile.
 (*Exeunt.*)
 ADAM
 2925 Hos tolle. – Cur sisti visos mihi illos? –
 Sed dic, quonam iverit puella? – Prode
 Nunc, Lucifer, potestatem tuam,
 Iuva, me ut audiat libens.
 LUCIFER
 Profundit
 Non tali nequitate Lucifer vim.
 ADAM
 2930 Tibi quod est nihil, mihi ipse mundus.
 LUCIFER
 Nanciscere ergo. – Sensus claudere
 Tuas vale, mentiri ne timescas,
 Responde, ut te rogaro: illam tenebis.
 (*Magna voce, ut hariola a tergo auscultans percipiat*)
 Num iam vides, vir egregi, induta quam
 2935 Molestum sit persona in plebe mixtos
 Malum novum usque nos offendere.
 Si vulgus hoc sentiret quattuor

Naves nostras ex India advenire,
 Secus tractaret nos.
 ADAM
 Credo equidem.
 HARIOLA (*secreto*)
 2940 Hoc indagasse me magni preti est.
 (*ad Adam*)
 Paucis volo te – qui tete abdidisti,
 Idcirco oraculo te puniebam,
 Nam nulla coram me secreta sunt,
 Quae Satanae vetus sum coniuratrix.
 LUCIFER (*secreto*)
 2945 Quid non sibi vult caries vetus.
 HARIOLA
 Hodie iam hic erunt naves tuae,
 Sed his quae res multo est iucundior,
 Puella pulchra tete deperit.
 ADAM
 Nancisci qui possim?
 HARIOLA
 Tua est fere iam.
 ADAM
 2950 Reiecit me.
 HARIOLA
 Ipsam ob hanc rem erit tua.
 Non multo post videbis hanc adesse,
 Memento hariolam veram fuisse.
 (*Exit.*)
 ADAM
 O Lucifer! te vincet haec anus.
 LUCIFER
 2955 Clare mereri eam non denego,
 Nunc illa nobis Satanae est loco. –
 (*Pharmacopola ploxeno invehitur tuba sonante, turba circumdatus, et restat in media scaena.*)

PHARMACOPOLA

Mi cedite atque honorem reddite,
Cui canescat caput scientiā,
Scrutato gazas naturae abditas
Laboriosa diligentia.

ADAM

2960 Quis hic insanus mirus, Lucifer?

LUCIFER

Scientia est degendam ad vitam inepta
Nunc, sicut olim, cum luctatus es,
Sed nunc maiore clangore est opus.

ADAM

Nunquam ipse feci sic, talem ad modum.

2965 O dedecus!

LUCIFER

Non culpa est illius,
Sed naturae timentis et volentis
Vitare tale epigramma in sepulchro:
*'Ex gratia speciali
Mortuus in hospitali.'*

2970 Nocte et die pro ceteris profusis
Coepit rogare mercedem suam.

PHARMACOPOLA

Mortalium laborans pro bono
Ecce assequor lucrum nitens:
In pyxide hac est vitae potio,
2975 Aegros quae recreat, senes.
Hoc pharmaco usus olim est Pharao,
Tancredi unguenta magica,
Medicamenta vultus Helenae,
Haec Kepleri astrologia. –

ADAM

2980 Audin, quid vendat? – Nos lucem in futuro,
Is quaerit aevo iamdudum relapso.

LUCIFER

Tempus praesens numquam est honore honestum.
Ut in cubiculo humana magnitudo.
Sed uxor ut decem annos ante ducta –

2985 Iam novimus cunctas lentigines.

PHARMACOPOLA

Emptum fac, non pudebit hunc qui emit, non
Talis occasio allata, afferetur.

QUIDAM EX TURBA

Cedo! – Mihi quodcumque erit bene. –
O quanta fortuna! – O quam cara merx!

LUCIFER

2990 Viden vulgus, nemo est, quin infidelis
Sit, at quanto modo miracula captat. –
(*Eva cum matre redit, hariola susurranti eas sequente.*)

EVA

Est vanus sermo: te iam novimus.

HARIOLA

Ne salva sim, ni verum est! Hic ita
Erus deperditus tuo est amore, ut
2995 Te sicut *maîtresse* adsumat sibi
Statim; domum incolas ut principissa,
Quattuor veharis in theatrum equis.

MATER

Delibera bene: utile est magis,
Quam velata coma flaccescere
3000 Sartoris atri in foetida taberna.

HARIOLA

At specta, qui stet – qui te quaeritet.

EVA

Satis turpe est non inventam me adhuc. –
Manus quam bella, quam gestus eriles! –

MATER

Mi nec sodalis eius displicet,
3005 Pede etsi curvo, paulum naso adunco,

Sed est honestus et dignus senex. –
 Abibo, filia. Intercessio est,
 Si vos vobis linquam, sic optima.
 HARIOLA (*ad Adam*)
 Ecce illa bella; quam te deperit. –
 ADAM
 3010 Volabo ad hanc – o quam volup – volup!
 HARIOLA
 Sequestris debes non esse immemor.
 LUCIFER (*nummos ei dans*)
 Nummi a sodali, a me dextra est data.
 HARIOLA (*eiulans*)
 Au! quam durast manus!
 (*Exit.*)
 LUCIFER
 Libidinem eius
 Scires, si esses, quam fingis, pus vetus! –
 EVA (*ad Adam*)
 3015 Si grata munera obsones mihi,
 Ut fucus nobis offert ille se –
 ADAM
 Fucus muliebris fascinationis
 Vultu in tuo est incomparabilis.
 (*Interea pharmacopola praeterit.*)
 EVA
 O vere blandus es.
 ADAM
 Indigna ne sis:
 3020 Collo pulchro adamantata et uniones
 Non ornaturus inseram, loco sed
 Quae non possint nitere digniore.
 EVA
 Vidi illic multos gemmae propolas,
 Sed non decent puellam pauperem.
 ADAM
 3025 Eamus spectatum.

LUCIFER
 Nil est opus.
 Gemmas porto mecum forte optimas.
 (*Gemmas tradit, quas Eva magno cum gaudio spectat et collo aptat.*)
 EVA
 Quam pulchrum, quam gratum, quam huic invidebunt. –
 ADAM
 Sed hoc cor – hoc nolo amplius videre.
 EVA
 Tibi si invisum est, possum abicere.
 (*Abicit.*)
 LUCIFER
 3030 Bene est, ego teram pede.
 (*Pedem imponit.*)
 EVA
 O quid est:
 Mentisne res ficta, an quis eiulat?
 (*Interea capitis reus curru per scaenam vehitur turba sequente.*) *elváasztás*
 QUIDAM E TURBA
 Gradu citato! – Nonne dixi inertem. –
 Huc usque contumax. – Cito, sequamur!
 ADAM
 Quis hic rumor, quae numquam audita turba?
 EVA
 3035 Supplicium. Optime est adesse nos.
 Eamus et nos, spectaculum incitabit
 Gemmisque excellere offeret locum.
 ADAM
 Quid est miselli crimen?
 EVA
 Nescio.
 LUCIFER
 Nil attinet, tamen narrabo ego:
 3040 In officina Loveli laborans

Longe, usque anhelabat plumbi venenum,
 Quo septimanas in manu medenti
 Iacente uxorem ursit necessitas,
 Cum filio benigno et iuniore
 3045 Convenit Loveli, cunctorum oblita. –
 OPERARIUS PRIMUS
 Iucundē, consors! – ut martyr cades,
 Tuum inter nos nomen clare nitebit.
 LUCIFER
 Maritus convalescens feminam non
 Invenit, aut locum, pensum petivit
 3050 Frustra: rebelli corde provocantem
 Plagis repulsit filius erilis.
 In cultrum detestatus incidit –
 Nunc fertur – delirat Lovel senex. –
(Dum ultima verba sonant, Lovel cum dignitate delira venit.)
 LOVEL
 Mendax, mendax es: non deliro ego,
 3055 An non comprehendi, vulnus filii
 Quid dicat? Sume infinitas opes,
 Fac non comprehendere, insanire me.
 OPERARIUS TERTIUS
 Te ulciscemur, timorem mitte, mitte,
 Olim.
 OPERARIUS PRIMUS
 Leva te: eorum est dedecus. –
(Capitis reus cum comitantibus praeterit.)
 ADAM
 3060 Quid me tentas, visus, quo mens stupescit?
 Quis decernet, uter scelestior
 Sit – an magis res ipsa publica?
 Ubi illa tabescit – scelus virebit.
 LOVEL
 Res publica, o sic! – Sume opes meas,
 3065 Fac ne comprehendam vocem vulneris.
(Exit.)

133

EVA
 Porro, porro, aut nobis loci manet nil.
 ADAM
 O grata fata, me non iudicem esse.
 Edicatur cito in triclinio lex –
 Indiligens cito diiudicat,
 3070 At cor qui investigat, quam difficulter,
 Sinus qui cordis omnes inspicit.
 LUCIFER
 Non finiretur tali lege lis.
 Nemo malum facit, quod id malum est,
 Et daemones titulos praeferunt,
 3075 Suum quisque aestimans potentiozem.
 Legis peritus nodum complicatum,
 Cui non philanthroporum milia
 Fila explicarent, ense dissecat. –
*(Interea ad castrum perveniunt, cuius in aedicula quadam
 imago sancti cuiusdam habetur.)*
 EVA
 Restemus paululum, mi care amice,
 3080 Mea ut sarta huic affigam imagini. –
 LUCIFER *(susurrans)*
 Cave sinas, cave, aut peribimus.
 ADAM
 Quid innocenti obstem puellulae? –
 EVA
 Huius consuevi imaginis mea in
 Infantia recordari, iuvat me
 3085 Et nunc praetergressam magnopere.
 Iam finio, statim, momenta lapsa
 Currendo supplemus.
*(Sarta affigit imagini, sed haec repente flaccescunt, et a
 collo lacertisque eius gemmae in lacertas versae
 delabuntur.)*
 Quid hoc, deus mi?
 LUCIFER
 Nequiquam te monebam. –

134

EVA
 Subvenite!

ADAM
 Tranquille, amores, es spectata vulgo –
 3090 Gemmas collo indam multo pulchriores.

EVA
 Abeste, abeste! parce! subvenite!
 Praestigiatōres venefica
 Cum taetra me turpaverunt honestam. –
(Turba moveri incipit, hariola cum vigilibus venit.)

HARIOLA
 Hic sunt certe, falsos dedere nummos,
 3095 Qui hydrargyri pares manu effluere.

LUCIFER
 Non nummi fors in culpa, at sunt manus. –
 Adam, fuge, haec mala oblectatio est.
(In castrum cedunt; turba et clamore infra crescente in summo propugnaculo apparent.)

ADAM
 Rursus deceptus sum, putans sat esse
 Everti antiqui monstra temporis
 3100 Sinique libere certare vires. –
 Sed clavum continentem et cardinem
 E machina eieci, sensus pios,
 Nec supplevi locum eius fortiore.
 Quale est certamen, quo stat alter ensem
 3105 Tenens, alter nuda manu repugnat,
 Qualis libertas, quae centum fame
 Necat, ni collo aptant iugum unius?
 Canum est hoc proelium de carne rapta.
 Pro quo volo talem rem publicam,
 3110 Non iudicem horrentem, sed vindicem
 Hortantem, vi communi coperantem,
 Sibi quem finxerit scientia,
 Cuius clara ordinem mens intuat. –

Hanc venturam novi, sensi, scio,
 3115 Duc, duc in hunc orbem me, Lucifer. – –

LUCIFER
 O vane homo, visu constricto ocelli
 Si in imo turbam confusam intuantur,
 Putasne iam non in fornace vitae
 Vires bene ordinatas coperiri?
 3120 Ocellis spiritus specta parumper
 Videque quale opus sic procreetur,
 Sane ad nostrum usum, non sibi pusillis.
(Advesperascit. Forum totum mutatur in cohortem fodientium sepulchrum apertum in media scaena, dum unusquisque alter alterum sequens insiliant, partim silentes partim sic locuti:)

CHORUS
 Fac concinat iam sarculum:
 Labora nunc, cras sera iam hora;
 3125 Post milia annorum etsi opus
 Non finiet magnum, labora.
 Cuna est sepulchrumque est idem,
 Quod incipit cras nuncque finit,
 Saturum semper esurit,
 3130 Cras surget, nunc quod introibit!
(Campana funebris tunditur.)
 En clocca tinnit vesperi,
 Imus quietum; opus peractum;
 Quem lux nova ad vitam ciet,
 Munus rursus hoc ordire magnum.

MIMUS
 3135 Peregi partes comicas
 Non laetus, at laetificans.

CAUPO
 Vinum suum quisque ebibit.
 Hospes, dormi: nox decedit!

PUELLULA
 Viola parvae veniere,
 3140 Novo cinis virebit flore.
 HARIOLA
 Adhuc scrutatores futuri:
 Nunc connivent terrore cuncti.
 LOVEL
 Opum dives nunquam beatus –
 Gratis quietem sum inde nactus.
 OPERARIUS
 3145 Septimana acta, sabbato
 Quietem fessum me dabo.
 SCHOLASTICUS
 E somnio miro excitus sum;
 Ades, sopor, sequor te rursus.
 MILES
 ‘Macte esto’ dixi mi, ‘probe!’
 3150 Pedem offendi in vili scrobe. –
 MERETRIX
 Ardor fugit, fucusque est dilutus,
 Hic algeo: num in imo est melius?
 CAPITIS REUS
 Manete, vincula, in vili luto,
 Post has foras legem alteram puto.
 PHARMACOPOLA
 3155 Falsa scientia fefellimus:
 Nunc veritate omnes stupebimus.
 EVA
 Quid ante me ‘hias, immense abysse?’
 Caligo non me deterret tua:
 Fors incidet pulvis, terrae propago
 3160 Huius; transgressam me fert gloria.
 Pandunt iter mihi ad sedem aeviternam
 Genii carminis, iuventae, amoris;
 Redit modo ad terram risus lubido,

Vultus forte illustrans iubare solis.
 (*Rica, stola in sepulchrum demissis gloriose ascendit.*)
 LUCIFER
 3165 Adam, novistin hanc?
 ADAM
 O Eva, Eva!

SCAENA DUODECIMA

Aula phalangisterii magnifici figuram litterae U reddentis. Alarum durarum pede plano porticus pandent. In porticu dextra inter machinas vaporarias rotis volventes operarii laborant. In sinistra sapiens quidam operatur in Museo variarum rerum ad naturalem historam pertinentium, item mechanicorum, astronomicorum, chemicorum instrumentorum, aliorumque mirabilium. Omnes phalangisterii incolae – uniformi modo vestiuntur. Adam et Lucifer in media aula e terra emergunt. Die.

ADAM

Quid regnum est quaeque gens, quam visimus?

LUCIFER

Hae res vetustae non iam plus habentur.

Minuta notio olim *patriae*

Nonne ex praesumpta opinione nata est,

3170 Defensa pugnā, illiberalitate?

Nunc patria amplior iam totus orbis,

Bono pro communi omnes sunt sodales,

In otio gestum pulchrum ordinem

Custodit et colit scientia.

ADAM

3175 Ergo perfecta mentis est imago

Meae; omne pulchrum est, omne est, ut cupivi.

Dolor solius patriae est mihi,

Puto hanc et ordinem novum fuisse

Probaturum. Nam terminos sibi

3180 Humanum pectus horrens infinitum

Cupit; profusum innata deficit vis,

Praeterito quod haesit et futuro;

Timendum est, toto ut inflammetur orbe,

Ut inflammata erat busto parentum.

3185 Qui sanguinem pro prole funderet,

Amici causa fundit lacrimas. –

LUCIFER

Imaginem illam te abiecisse constat

Prius, quam incarnatam videre posses.

ADAM

Cave credas: sum factus curiosus,

3190 Quae possit omnem orbem ferruminare,

Ignem sacrum aeternum quaenam idea

Ductura sit cordis, commotionem

Incensam adhuc tot vilitatibus,

Ad proelia usurpatam somnii,

3195 Excelsiori tandem destinato? –

Dic, quo locorum stemus denique?

Duc deinde me, libidine ut fruar

Felicitatis, quam tot bella post

Ut praemium accepit merens homo.

LUCIFER

3200 Unum ex multis phalangisterium est,

Hoc sedes hominum mentis novae. –

ADAM

Eamus ergo.

LUCIFER

Festinare parce.

Vetus cutis nobis est exuenda.

Si appareremus, Adam et Lucifer,

3205 Res sapiens non in nos crederet,

Seu perderet, seu vitro includeret nos.

ADAM

Quam rursus ineptum sermonem facis.

LUCIFER

In mundo spiritus non est secus.

ADAM

Fac ut vis ergo, sed celerrime.

(*Lucifer ambos reddit similes phalangisterii incolis.*)

LUCIFER
3210 En indue hanc vestem. Tolle et capillos –
Paratus 's. –
ADAM
Sapientem hunc alloquamur.
LUCIFER
Ave tu sapiens!
SAPIENS
Turbare noli
Opus magnum, non tempus garriendi est.
LUCIFER
Quam paenitet! Phalangisterio ex
3215 Millesimo adsumus, scientiae
Discipli, vecti usque hoc fama tua.
SAPIENS
Dico laudandam diligentiam.
Sane labor potest intercipi,
Mi, dummodo vitrum tenet calorem,
3220 Voluntati cedit materia. –
LUCIFER
A, non sum deceptus putans relictam
Et in te (postquam naturam liquasti
Et gentem humanam) scoriam ultimam,
Superbiam. –
SAPIENS
Nunc delectabimur. –
3225 Sed qualem proprie exercetis artem?
ADAM
Sciendi non unam colit cupido
Artem; spectare avemus universum. –
SAPIENS
Erratis. In parvo magnum latet,
Artes tam multae, vita tam brevis.
ADAM
3230 Recte! – Et tali viro scio esse opus,

Arenam qui portet caedatve saxum:
Sine illo non consistet regia.
Sed hoc modo errat per caligines,
Non percipit, quid construi iuvet. –
3235 Totum nisi architectus non videt,
Etsi non scit lapillum caedere,
Tamen, Deo par, ille opus creat. –
Sic architectus est scientiae.
LUCIFER
Hac pro re te, vir magne, visimus.
SAPIENS
3240 Fecistis callide, probare possum.
Uberrimi rami scientiae,
Vultus diversi unius organismi,
Simul movent amorem.
LUCIFER
Ut feminae
Pulchrae.
SAPIENS
Tamen sola est ars chemiae –
LUCIFER
3245 Vitae sedes in imo corpore. –
SAPIENS
Tenes iam.
LUCIFER
Fatus ante te est idem
Quidam mathematicus de mathesi.
SAPIENS
Iactati omnes vana superbia
Se medium orbis conspectus putant. –
LUCIFER
3250 Sed recte legisti artem diligendam
Tu chemiam.
SAPIENS
Pro certo ego scio. –
Sed Museum spectemus denique.

Incomparabile est mundo in novo,
 Nam bestiae dilapsi temporis
 3255 Emortuae videntur, vera farta
 Tomento exempla. – Multa milia
 Ex his ad patres nostros barbaros
 Vivebant, mundi regnum partientes. –
 Multae mirae traduntur fabulae,
 3260 Fuisse exempli causa hunc machinae
 Vectrici.
 ADAM
 Equus sane, sed degener,
 Longe impar est, ac quondam ille *al-Buraq*.
 SAPIENS
 Hunc autem fama est serviisse amico
 Humanae genti, non labore victum
 3265 Merentem, gratis, fida notione
 Cepisse humanam cogitationem.
 Fama amplius 'st fuisse conscium
 Culpa eius, ideae peculii, et
 Vitam dedisse eius custodia. –
 3270 Hoc narro, sicut scriptum fabula,
 Non qui credam sine ullo dubio.
 Erant tot somnia et deliria
 Priscis annis – hoc mansit fabula.
 ADAM
 Hic est *canis*. – Quod dicis, omne verum est. –
 LUCIFER
 3275 Adam, cave, ne prodas ipse te. –
 SAPIENS
 Hic servus pauperis viri fuit.
 ADAM
 Ut pauper functus est *bos* divitum.
 SAPIENS
 Deserti rex hic est.
 ADAM
 Sane *leo* –

En tigris, ecce alacris caprea,
 3280 Ecquae nunc bestia in mundo manet?
 SAPIENS
 O quanta quaestio! non sic apud vos?
 Manet quod utile est, cuius locum
 Explere adhuc nequit scientia:
 Sus atque ovis, sane nullo modo
 3285 Tam defective, ut artis imperita
 Natura fecerit: vis *illa* pura
 Adipis est, *haec* carnis, velleris,
 Nobis, ut chemicum vitrum, usui.
 Sed omnia haec te nosse sentio,
 3290 Spectemus cetera. En metalla nostra.
 Videte, sit carbonis quanta gleba:
 Ex hac materia montes fuere,
 Homo sumpsit paratum iam sibi,
 Quem nunc ex aere scientia
 3295 Liquat magno labore. Est huic metallo
 Nomen ferro; donec consumeretur,
 Non aluminium inquirendum erat. –
 Hoc frustulum aurum est, famosissimum,
 Idem metallum inutilissimum.
 3300 Nam quondam homo caecus religione
 Colens divina augustiora se,
 Et fatis monstra praevalentia:
 Huiusmodi esse et aurum credidit,
 Aris salutemque et ius obtulit
 3305 Et quidquid sacrum erat, frustum unicum
 Ut posset obtinere magicum,
 Quo quippe mutarentur omnia –
 Dictu res mira, nec panis secus.
 ADAM
 Diversa monstrā, diversa, haec scio.
 SAPIENS
 3310 Re vera, hospes, magna scientia es.
 Plantas antiquas nunc spectemus ergo,

Ecce ultimam rosam videte mundi,
 Quae floruit. Quam flos inutilis!
 A spicis germana huius milia
 3315 Centum obsedere uberrimos locos;
 Adulorum lusus infantium
 Grati. Vere est peculiare, quantum
 Huiusmodi olim ludi sunt petiti,
 Tulit mens ipsa flores: visiones
 3320 Poeseos, fidei imaginem,
 Sopita somniis fallentibus
 Virtutem effudit prodiga optimam,
 Situs dum obducit destinata vitae.
 Ut rara monstra, opuscula hic duo
 3325 Servantur talia. Alterum est poema;
 Privatus vindicat dum vir nefanda
 Superbia sibi ius quisque, habebat
 Nomen poeta Homeri. Pinxit orbem
 Inanem somnians, Orcum vocans,
 3330 Cui sunt dudum omnes versus confutati.
 Taciti *Vita Agricolae* altera est,
 Ridendus, idem est visus notionum
 Pudendus ex aetate barbarorum.
 ADAM
 Hae nonnullae chartae mansere ita,
 3335 Testamentum dierum splendorum,
 Neque inflammatur depravata proles
 His instigatus, ut magnum audeat,
 Quo corrumpat mundus ficticius?
 SAPIENS
 Est recte dictum, ita et nos sensimus,
 3340 Latet venenum letalissimum illic,
 Hanc ob rem nemini datur legendi,
 Nisi annos post sexaginta, potestas
 His, qui scientiae se dederint.
 ADAM
 Quid ad cantus nutricum fabulosos,

3345 Numne hi tenelli pectori inferunt
 Sensus?
 SAPIENS
 Sane est ita; haec est causa, cur
 Nutrices garriant infantibus
 Aequationem et geometriam. –
 ADAM (*secreto*)
 O percussores, non vos integram
 3350 Cordi optimam auferre aetatem pudet!
 SAPIENS
 Pergamus. – Ecce quam mirae figurae
 Sunt instrumentorum, artis machinarum.
 Tormentum belli; ‘ratio ultima
 Regum’ patent obscura inscripta. – Quis scit,
 3355 Cui usui fuerit? – Ensis hic,
 Necis solius humanae instrumentum –
 Nec crimen commisit, qui sic necavit.
 Est picta tota tabula haec manu,
 Fortasse pensum vitae dimidi,
 3360 Neque exprimit quid, fabulam nisi
 Insanam. Vi solis nunc pro manu
 Pinguntur: mentita *illa* est pulchrius,
Haec servit nos alta fiducia.
 ADAM (*secreto*)
 Sed ars relicta est et vis ingeni –
 SAPIENS
 3365 Quam sunt ornata haec rerum milia,
 Quam puerilia. Scyphum decorat
 Flos, arcum sellae pampini, maeandri,
 Manus humanae facta prodiga.
 Aqua hoc scypho num pota recreat
 3370 Magis vires, sella haec commodior?
 Nunc pro nobis machinae fabricantur
 Ad simplicissimam, utilissimam
 Formam; perfectionis sponsio est,

Quod nunc qui clavem quendam pensum habet,
3375 Ad supremam diem hoc penso tenetur.

ADAM

 Eoque vitae nil, nil ingeni est
 In artefacto, quod vincat magistrum. –
 Ubi vis et mens campum habent suum,
 Ad divinam probandam originem?
3380 Volens certare si circumspicit
 In mundo regula bene ordinato,
 Neque invenit libidinem pericli,
 Neque unam solam bestiam ferocem.
 Sic sum deceptus et scientia:
3385 Ludum qui taediosum repperi
 Loco, quam exspectaram, vitae beatae.

SAPIENS

 Nonne instituta est iam fraternitas?
 Homo quis urgetur penuria?
 Plane hae dignae sunt cogitationes
3390 Qui puniantur.

ADAM

 Dic quae denique
 Idea possit tale unire vulgus,
 Quid commune inflammet consilium?
SAPIENS
 Consilium nostrum est victus habere.
 Homo cum quondam in hac terra exstitit,
3395 Bene ordinato promptuario
 Manum debebat tantum extendere,
 Ut omne, quo carebat, sumeret.
 Sic omnia inconsulte dissipabat,
 Ut vermis casei, per crapulam
3400 Dulcem theoriis in fabulosis
 Ad quaerendam voluptatem et poesin
 Vacabat. Nobis morsellae ultimae
 Parcendum est iam, perspecta morte iam

 Diu famis, cum derit caseus.
3405 Post quattuor milia annorum gelabit
 Sol, nec plus tellus haec fruges feret;
 Haec quattuor milia annorum data,
 Ut possimus locum supplere solis.
 Credo sat temporis scientiae.

3410 Aqua est oblata ut ignis alimentum,
 Materia oxydata, ignem reservans.
 Non multum abest, ut arcana organismi
 Revelentur nobis his iam diebus. –
 Flecti sermonem opportune accidit
3415 Huc, paene oblitus vitri sum mei,
 Quod hoc et ipse studio laboro.

LUCIFER

 Homo valde senescit, chemico si
 Vitro *organizaturus* utitur. –
 Sed etsi forte opus cedet bene,
3420 Num quale monstrum erit? mens ut sine
 Verbis, amor deliciis egens,
 Res viva, qualem natura abdicat,
 Nec cui cognata nec contraria,
 Natura propria non terminante.
3425 At unde proprium sibi accipit
 Nil passa, seclusa effectu extero
 Res, quae vitro angusto sensus capit?

SAPIENS

 Vide, vide, ut coquatur, ut nitescat,
 Hic illic formae labentes moventur,
3430 In hoc vitro ocluso bene et tepenti
 Affinitates et reactiones
 Conveniunt omnes, meae necesse est
 Voluntati elementa cedere.

LUCIFER

 Miror te, sapiens! id nescio unum,
3435 Possisne consequi, ne se trahant

Affines, invicem contraria
 Ne se repellant.
 SAPIENS
 Quam garris inepte;
 Haec est aeterna lex materiae.
 LUCIFER
 A, comprehend; dic, ex quo pendeat lex?
 SAPIENS
 3440 Lex unde pendeat? Lex est, quia
 Vera est, usus nobis ita probavit.
 LUCIFER
 Naturae tantum fornacator es
 Ergo, ipsa sola curat cetera. –
 SAPIENS
 Sed ipse vitro limites dabo,
 3445 Arcanisque a tenebris extraho illam.
 LUCIFER
 Adhuc signum vitae non sentio.
 SAPIENS
 Fieri non potest, ut absit. Omne
 Ego indagatus arcanum organismi
 Insecta vita centies –
 ADAM
 Modo
 3450 Carnem invenisti semper mortuam.
 Claudio pede scientia assequetur,
 Quod experimentum exstat iunius,
 Et ut poeta mercenaria
 Regi, decora facta interpretari
 3455 Paratus est, praedicere at nequit. –
 SAPIENS
 Quid irridetis, nonne una videtis
 Egere scintilla, ut vita impleatur? –
 ADAM
 Sed hanc, hanc unde scintillam capis?

SAPIENS
 Qui restat, unus solus est gradus.
 ADAM
 3460 Sed qui non hunc gradum unum grassus est:
 Adhuc nihil fecit nihilque scit.
 Sunt ceteri omnes facti in porticu,
 Fert ad penetrabile hic unus gradus. –
 Num gradietur unquam quis gradum hunc? –
*(Interea vapores, quae supra vitrum volitant, conglobari et
 tonare incipiunt)*
 VOX GENII TERRAE (*e vapore*)
 3465 Numquam quisquam. – Mihi hoc vitrum nimis
 Artum laxumque idem est – quem quippe noris,
 Annon, Adam? – neque illi suspicantur.
 ADAM
 O nonne audisti vocem spiritus?
 Vide, vide, superbe vane homo,
 3470 Quonam modo hunc vincas, qui ibi volat. –
 SAPIENS
 Spasmus delirus. O, pro te anxius sum.
(Vitro dirupto genius evanescit.)
 Vitrum diruptum est, rursus magnum opus sum
 Ex integro ordiendus. Destinato
 Micante iam frustum fallit rei me,
 3475 Fortuna caeca.
 LUCIFER
 Olim ‘fatum’ vocatum est.
 Minusque opprobrii frangi virum
 Imperio huius fuit, quam cedere
 Fortunae caecae nunc. –
(Tintinnabulum canit)
 Quid hoc sibi vult?
 SAPIENS
 Labor finit, adest hora ambulandi,
 3480 Ex officinis, ex agris reditur,
 Qui peccavere, nunc poenas dabunt,

Nunc feminas, infantes sortiemur.
 Eamus, ipse fungar munere.
(Longo ordine veniunt viri, altero ordine feminae, quarum quaedam cum infantibus liberis; ex his una Eva. In aula omnes orbem faciunt, senior quidam prodit. Adam, Lucifer et sapiens in antica parte scaenae apud museum stant.)

SENIOR
 Tricesimus.

LUTHER *(ex ordine procedens)*
 Praesto sum.

SENIOR
 Denuo

3485 Modum transgressus es fornacem alendi.
 Phalangisterium in periculum agi
 Intemperantia tua videtur.

LUTHER
 Quis restaret cupidini, elementum
 Cum rugit et scintillat efferatum,

3490 Circumdant flammae mille lingulae
 Volentes tangere illum, ut deleant:
 Fortis constare et plus incendere,
 Sciens bene in potestate ignem haberi. –
 Ignoras ignis tu miraculum,

3495 Hunc qui sub olla vidisti modo.

SENIOR
 Ob vanum sermonem cena carebis.

LUTHER *(in ordinem recedens)*
 Sed cras incendam flammam denuo.

ADAM
 Ecquid cerno? hunc novi virum, fuit
 Luther.

SENIOR
 Ducentesimus atque nonus.

CASSIUS *(procedens)*
 3500 Praesto sum.

SENIOR
 Tertium te iam monebo,
 Qui pugnam civeris causa sine.

CASSIUS *(recedens)*
 Causa sine, ut qui non tollo querelam? –
 Ignavus est, qui adiutores ciet
 Valente bracchio. Adversarius

3505 Cur non defendit se, an minus valebat? –

SENIOR
 Noli obloqui. – Tuam inclinationem
 Malam non excusat figura calvae,
 Quamquam est integra, quamquam nobilis,
 Sed sanguis fervet et ferox nimis!

3510 Dum mitescas, morbo curaberis.

ADAM
 O Cassi! me si nosset, qui ad Philippos
 Tecum una pugnavi. – Num pravus ordo
 Theoriaeque tantum errare possunt,
 Ut impedimento sit cor eis

3515 Istud, nec noscant, quam sit nobile?

SENIOR
 Quadragentesimus.

PLATO *(procedens)*
 Praesto.

SENIOR
 Te ita

Rursus ferebant visus somnii,
 Ut creditum tibi pecus periret.
 Pisis genu demitte ut sis vigil.

PLATO *(recedens)*
 3520 Et in pisis praeclara somnio.

ADAM
 O quae partes, Plato, sortitus es,
 Re, quam cupiveras, in publica! –

SENIOR
 Septuagesimus secundus.

MICHELANGELO (*procedens*)
 Eccum. –

SAPIENS
 Abisti inordinata fabrica.

MICHELANGELO
 3525 Ita est, quod semper sellarum pedes
 Sculpebam, atque in formam vilissimam.
 Longe precatus, mutare ut liceret,
 Paulum ornamenti inscalpi ne vetarent,
 Sum interdictus. Sellae arcum postulabam,
 3530 Ut pensa mutarentur, atque frustra.
 Iam proximus delirio reliqui
 Tormentum sic, reliqui fabricam.
 (*Recedit.*)

SAPIENS
 Ob ordinem non servatam cubiclo
 Secludere a pulchro solis calore.

ADAM
 3535 Genio cordis, Michelangelo,
 Quantum infernum est creare non licere! –
 O, quot viri mi noti sunt ubique,
 Quantum ingeni, quantum innati valoris!
 Pugnavit mecum hic – martyr iste caesus,
 3540 Ille orbem terrarum angustum putabat;
 Quam rescissi uniformes, quam pusilli
 Re publica sunt. Lucifer, eamus;
 O, ferre hunc visum spiritus nequit. –

SENIOR
 Duo infantes aevum nunc obtinent,
 3545 Ad quod cura materna opus fuit,
 Nunc publicum doctrinum eos capit,
 Procedant!
 (*Eva et altera quaedam mulier cum liberis suis procedunt.*)

ADAM
 Quanta illustris visio!

Ergo et mundus severus hic habet
 Poesin!

LUCIFER
 Porro, Adam, non ibimus?

ADAM
 3550 Immo vero otium invenimus hic.

SENIOR
 Inquire, sapiens, calvae figuram
 Infantium.
 (*Sapiens infantes examinat.*)

EVA
 Quae sors, o, me manet.

ADAM
 Hanc vocem!

LUCIFER
 Cur hanc vulgarem cupis,
 Expertus labra Semiramidis?

ADAM
 3555 Adhuc hanc ignoravi.

LUCIFER
 Proh ‘ ita!
 Hoc carmen antiquum est amantium:
 Omnes se primum invenisse aestimant
 Libidinem, anteaque neminem
 Adhuc amasse; sic a milibus
 3560 Nonnullis annorum usque res habet se.

SAPIENS
 Hunc educari ut medicum est opus,
 Illumque pastorem.

SENIOR
 Sic, auferunto.
 (*Liberos auferre conantibus Eva resistit.*)

EVA
 Ne tangito! meus ‘st hic filius;
 Quis hunc rapit de matris pectore! –

SENIOR
 3565 Num quid moramini? istum tollite.
 EVA
 O fili! quippe nutrivi te ego
 Cruore cordis. – Tanta vis ubi est,
 Qua possint sancta vincla dirimi?
 In aeternum renuntiem tibi,
 3570 Ut in tumultu omittare, atque ocelli
 Frustra te quaerant speculante cura
 Inter tot uniformes hospites?
 ADAM
 Quirites, o si quid sacrum tenetis,
 Huic matri filium relinquit.
 EVA
 3575 Ita est, ita est, hospes gratissime.
 SENIOR
 Hospes, ludos audaces incipis;
 Sinentibus nobis revivere
 Familiae praesumptionem opus
 Sacrae scientiae omne corrui.
 EVA
 3580 Quid ad me congelans scientia!
 Labatur voce naturae loquente.
 SENIOR
 Tandem fiat!
 ADAM
 Nolite tangere,
 Heus! ensis est hic, usum vos docebo.
 LUCIFER
 Noli moveri, spectrum somnii.
 (*Manum umero Adae imponit, qui repente torpet.*)
 3585 Senti fatalem vim manus meae. –
 EVA
 O fili!
 (*Corruenti filius aufertur.*)

SENIOR
 Compare hae duae carent,
 Dicant, qui postulent has compares.
 ADAM
 Hanc postulo.
 SENIOR
 Quid sentis, sapiens?
 SAPIENS
 Viro deliro, insana femina
 3590 Nascetur degener, non sunt favendi.
 ADAM
 Ego non cedo, dummodo ista vult.
 EVA
 Vir nobilissime, ecce sum tua.
 ADAM
 Amo te, femina, omni cordis igni.
 EVA
 Amo te in aeternum ipsa, sentio.
 SAPIENS
 3595 Delirium! – Sane est notabile
 Videri phasma temporis relapsi
 Nostro saeculo claro. – Unde prodit hoc?
 ADAM
 Ex Eden serus adfulsit nitor.
 SENIOR
 Dolendum est. –
 ADAM
 Hunc dolorem mittite. –
 3600 Delirium hoc est nostrum; sobriis
 Non vobis invidemus. Omne quod
 Magnum atque nobile in mundo fuit,
 Delirium haud saeptum curā severā –
 Vox spiritalis sphaera e nobili,
 3605 Quae balbutit nobis, ut dulce carmen,
 Testans cognatum nostrum spiritum

Vilem lutum terrae huius spernere,
Viam indagare ad circos altiores. –
(Evam complexus tenet.)

SENIOR

Quid audimus? manus curantium!

LUCIFER

3610 Ferenda est ops cito. Adam, pergimus!
(Sub terram labuntur.)

SCAENA TERTIA DECIMA

(Inane. Terrae segmentum quoddam procul videtur usque deminutius, donec non sentiatur nisi stella quaedam inter alias mixta. Scaena initio aliquantum obscura, et gradatim omnino fiunt tenebrae. Adam ut senex cum Lucifero volat.)

ADAM

Quo nos volatus delirus feret?

LUCIFER

Nonne altiores, scoriis vacantes,

Cupisti circulos, ex quis locis

Voces audisses, si sensi bene,

3615 Concordis spiritus?

ADAM

Sane, tamen

Non tam vastam putavi ad hos viam.

Hi fines tam soli sunt atque inanes,

Ut sint, pererrent quos sacrilegae.

In corde luctantur sensus duo:

3620 Terra vili retentum spiritum

Altum sensi, exire hoc circo volo;

Idem dolens fleo me separatum. –

O Lucifer! terrae orbem respice,

Primo flores ex visu decidere,

3625 Dein dilapsa est silvae corusca frons;

Trecenta tum noti tractus loca

Amoena in planum ignotum confluunt.

Quod rētulit, sic omne dilutum est.

Nunc iam rupes in glebas comminutae,

3630 Nubesque fulmen portantes, quibus

Vocem sacram credens vulgus tremit,

Depravantur miserrimum in vaporem.

Quo, quo frementis dilapsum est maris

Infinitem aequor? stat mica ut livens
3635 In quodam ex mille milies globo,
Qui ignotus circuit: fuit qui mundus.
O Lucifer, necnon eam ‘ – eam – –
Fuitne et illam derelinqui opus? – –

LUCIFER

Revera ex visu tangenti altiora
3640 Cadit primum venustas, deinde vis
Et magnitudo, tum nobis manet
Nihil nisi mathesis frigida. – –

ADAM

Iam praeterimus sidera, at nihil
Destinati specto, aut molis tenet me.
3645 Pugna sine atque amore quid preti
Sit vita? Frigus me horret, Lucifer!

LUCIFER

Adhuc valebat magnanimitas?
Retractemus tunc ludum in pulvere.

ADAM

Quis hoc dicat? porro, usque porro:
3650 Dolor relinquet ruptis restibus
Omnino me ad terram ligantibus. –
Sed a! quid est? spirare vix queo,
Relictus vi, compos haud sum mei,
An plus Antaeus est quam fabula,
3655 Qui non vixit plus terrae pulverem
Quam tangeret?

VOX GENII TERRAE

Sane plus fabulā est.

Tu me iam nosti, terrae genium,
Nisi me, nil in te spirare scis.
Hic meta, adhuc vis tenditur mea,
3660 Redi et vives – transi et deleberis,
Ut saltitans in gutta aquae minutā
Amoeba. – Terra guttae est huic tibi. –

ADAM

Terrere me nequis, tibi resisto,
Tuum est fors corpus, spiritus meus,
3665 Mens infinita est veritasque, quae
Mundum ante corporalem constitit.

VOX GENII TERRAE

Conare, vane homo! et cades miser.
Odor an ante quam rosa exstitit,
Forma ante corpus, splendor ante solem?
3670 O si videres spiritum aethere
In infinito circuire solum,
Peregre in mundo frustra quaerere
Intellectum sibi atque expressionem,
Nec quid sentire iam nec sapere,
3675 Abhorreret. Namque omnis ratio,
Omnes sensus intenti in te nihil sunt
Nisi emanatio materiae,
Vocas quam terram, quae mutata si esset,
Nihil plus exstaret nihilque plus tu. –
3680 Pulchrum atque turpe, infernos et salutem
Meo tibi attraxisti spiritu
Qui patriae tuae inflat ordinem. –
O hic quod est aeterna veritas,
Absurditas forte in mundo altero,
3685 Quod non potest hic, plane fit ibi.
Pondus non pensatur, non vita mota,
Quod hic aer, est forte mens ibi,
Quod hic lumen, forte est ibi sonus,
Quod auctum vitā est hic, crystallum ibi.

ADAM

3690 Non me retentas, tollo spiritum alte. –

VOX GENII TERRAE

Adam, ‘ Adam, ‘ extremum iam prope est:
Redi, in terris his magnus esse quis,
At si tete revellis Universi

Ex vinculis, Deus te non feret
 3695 Ad se gradi – te perdet pessimum. –
 ADAM
 Me nonne perdet dein utique mors? –
 VOX GENII TERRAE
 Vanum verbum mendaciae vetustae
 Iactare noli in mundo spiritus –
 Natura tota abhorret audiens.
 3700 Hoc est sigillum sacrum, Dominus
 Sibi servavit. Ne malum quidem
 Scientiae solvit.
 ADAM
 Solvam ergo ego.
 (*Protinus volant, dum Adam repentino eiulatu rigeat.*)
 Perij!
 LUCIFER (*cachinnans*)
 Vicit vetus mendacia. –
 (*Adam a se abstrudens*)
 Haec divi idoli pupa circuibit
 3705 Per aethera, stella ut nova, et mihi
 Novā vitā fortasse germinabit. –
 VOX GENII TERRAE
 Gaudio absiste, Lucifer, maligno!
 Externum mundum tangebatur modo,
 Regno meo egreditur difficulter. –
 3710 Paterna vox vocat te, exsurge, fili!
 ADAM (*animum recipiens*)
 Rursus vivo – me sentio pati,
 Mihi sed quam cara est haec passio,
 Quam est horridum, redire in nihilum. – –
 O Lucifer! reduc terram in meam me,
 3715 Pugnavi ubi frustra tot proeliis,
 Beatus pugnaturus rursus ero. –
 LUCIFER
 Putasne adhuc, expertus tanta, non

Frustra certaturum te denuo?
 Et terminum assequere? Gaudium
 3720 Infantile incorruptum est hominis. –
 ADAM
 Nullo modo trahit me haec vana mens,
 Scio non assequi me terminum
 Terque et quater. Quid refert? Terminus
 Quid est? Est finis belli splendori,
 3725 Est terminus mors, vita proelium,
 Ipsum hoc bellum destinatum est viri.
 LUCIFER
 Sane est miranda consolatio:
 Si esset res magna, quae pugnam ciet;
 Sed cras ridebis id quod nunc proponis,
 3730 Tantum ludus te infantium calebat. –
 Nonne ad Chaeroneam pro decidenti
 Fudisti libertate sanguinem,
 Idem qui post certasti conditurus
 Pro Constantino mundi imperium?
 3735 Occisus nonne es martyr pro fide,
 Nonne at tu postea contra fidem
 Idem gessisti arma scientiae?
 ADAM
 Ita est, ita est, sed cogitatio quid
 Refert, quam vilis fuerit: levabat,
 3740 Me incendebat, mens magna sancta erat.
 Quid refert, crucis an scientiae,
 Libertatisne an forma ambitionis:
 Processit hac utique humana gens. –
 O ad terram rursus, novamque pugnam! –
 LUCIFER
 3745 Vocisne oblitus es iam sapientis,
 Qui computavit congelante mundo in
 Quater mille annis pugnae terminum?

ADAM

Ni obsistet illi sapientia.

Sed obsistet, iam sentio, scio. –

LUCIFER

3750 At deinde? – Ubi vis, pugna, magnitudo

In hoc mundo arte facta, constituto

Ex ratione per theorias,

Quemque ipse tu conspexisti modo? –

ADAM

O salvet terram – post ut omnia

3755 Quae functa munere, ille praeteribit,

Emerget denuo tunc spiritus,

Qui vitam inflabit. Illi tu modo

Reduce me, spectaturus calesco,

In terra salvata quaenam idea

3760 Incendet me.

LUCIFER

Revertamur, bene! –

SCAENA QUARTA DECIMA

Regio montana nive geluque, sed arbore nulla oppleta. Sol velut globus rufus sine radiantia inter pannos nebulae stat. Lux incerta micat. In parte antica scaenae inter nonnullas betulas, iuniperos deformes, pinus reptantes tugurium Hyperboreanum videtur. Adam ut senex aevo fractus baculo nitens de monte descendit cum Lucifero.

ADAM

Quid infinitas per nives vagamur

Morte intuente nos caecis ocellis?

Nil vocis, immergens nisi se aquae

Strepit nostro ingressu excitata phoca;

3765 Et planta defessa est certamine,

Depravantur vepres inter lichenas,

Rubens luna aspicit, lucerna mortis,

Sepulcri fossam hanc sub caligines. –

Duc me, palmae quibus locis virent,

3770 In solis, balsamorum patriam,

Tractus pulchras, humana mens ubi aucta est

Sui valoris conscientia. –

LUCIFER

Ibi sumus. Globus cruentus hic

Sol. Aequatorem orbis teris pede. –

3775 Fatum non devictum est scientia. –

ADAM

O horridam orbem! – aptum tantum mori,

Cuius relinquendae nil paenitet me.

O Lucifer! humanae gentis olim

Ad cunam qui astiti vidique spe

3780 Tanti futuri cunam commoveri,

Tot eius bellis usque proeliavi,

Nunc cogitans bustum immensum super

Constratum naturae velamine,

Primus vir in mundo, idem ultimus,
 3785 Velim nosse: ut gens lapsa sit mea?
 Auguste, nobili in certamine,
 An usque nequior prioribus,
 Maiestate privata, indigna luctu?
 LUCIFER
 A, a! superbus *magnanimitate*
 3790 – Quam nominare praefers spiritum,
 Qui sanguinem facit pulsare, pectus
 Tumere iuvenile pro quibusdam
 Ideis – denique ipsius tuum
 Noli testis assistere ad feretrum. –
 3795 Hora ultima est mira inquisitio
 A servo, ero sine, acti computi.
 Fugat febris delira visiones
 Omnes coruscas febris, vita qua ardet.
 Quis dicat posthac, ultra vera sit?
 3800 Singultus morte accedente minutus
 Ridet pugnam vitae magnopere.
 ADAM
 Cur ergo non in excelso exii,
 Potentiae omnis, mentis conscius,
 Prius quam nossem epigramma ipsius
 3805 Meum, quod neglectu et rigore
 Inscribit spiritus, certaminis
 Qui non sit consors aut mortis meae. –
 LUCIFER
 Gentem de lacrimis novi tuam,
 Te ad intellectum clarum somnio
 3810 Gratissimo experrectum quae sequuntur. –
 Quiesce, gens supervixit tua.
 Videsne illic humanam exsistere
 Casam, cultorem exire nunc foras. –
 (*Hyperboreus quidam e tugurio provenit expeditus ad
 phocas venandas.*)

ADAM
 An visus degener, deformis illa
 3815 Forma usurpet maiestatem meam?
 Videri cur sisti illum, Lucifer?
 Sane solacium peius dolore.
 HYPERBOREUS
 Num denique existunt dei super nos?
 Eccos coram me apparuere iam.
 3820 At, sint boni malignine, ut scio?
 Certissimum est mihi illos aufugi.
 (*Cedere vult.*)
 LUCIFER
 Paucis volo te!
 HYPERBOREUS (*se prosternens*)
 Parce, domine!
 Primam quam captaro, tibi immolabo
 Phocam; exaudi me, noli perdere.
 LUCIFER
 3825 At phocam quonam iure habebis istam,
 Quod eius vita compenses tuam?
 HYPERBOREUS
 Potentioris iure: namque cerno
 Edi circum me alacri pisce vermes,
 Phocis pisces, a me phocas edi.
 LUCIFER
 3830 Et spiritu magno te devorari.
 HYPERBOREUS
 Scio, scio; momentum temporis,
 Quo me moveri clementer sinit,
 Cruore tantum exposco victimae.
 ADAM
 Ignava opinio!
 LUCIFER
 An secus tua est?
 3835 Id inter vos solum interest, eum
 Phocas, humanam te immolasse vitam

A te creato numini ad tuam
 Imaginem, hic ut ad suam creat.
 HYPERBOREUS
 Iratum te sensi et causam scio.
 3840 Egestate actus tollere preces
 Ad numen solis ausus sum benignum,
 Qui non petit: dat; dicit fabula
 Hic imperasse hunc olim. – Ignosce mi,
 Exsecrabo hunc in aeternum.
 ADAM
 Deus,
 3845 O despice et rube, quam sit miser,
 Quem daedalum tu feceras, homo!
 HYPERBOREUS
 Saevit comes tuus: an esurit?
 LUCIFER
 Immo ille saevit, quod non esurit.
 ADAM
 Quam non apte iocos facis malignos!
 LUCIFER
 3850 Ioci nil, vera dico. Uti satur
 Argumentaris, hic consors tuus
 Ieiuni ventris philosophiam
 Habet. Neque alter alterum argumentis
 Vincet, sed si tu ieiunes vel ille
 3855 Satur vivat, statim consentiatis.
 Ita est, ita est: quidvis fingas tibi,
 Tamen prior est in te bestia,
 Cumque istam iam sopiveris, homo
 Resurget in magna superbia
 3860 Spreturus naturam primam suam. –
 ADAM
 Te dignus hic est sermo, Lucifer,
 Qui pravo gaudio omne detrahis
 Sacrum in terrae lutum. Num est omne mentis
 Manusque magnum opus vapor coquinae,

3865 Inutilisve stirps occasionum,
 Quae nonnullis vilis materiae
 Agantur, obligentur legibus? –
 LUCIFER
 An est secus? – Vel forte tu putas
 Casurum in faucibus Leonidam
 3870 Fuisse, ni restinxisset famem
 Nutritus atro iure eiusmodi in
 Re publica, quae nec nummum excudisset,
 At si in villa Luculli crapulam
 Lubidinis bibisset dulcem Eoae?
 3875 Casurum Brutum, ad pulchram Porciam
 Si post vigorem proelii redisset
 Cenatus optime, otio refectus?
 Quo culpa, quo modo cor nobile
 Propagatur? Nonne hanc caligo, egestas,
 3880 Nonne illud libertas, lux parturit
 Solis, legatque seris saeculis
 Suam formam suumque spiritum?
 O quot dixere se vitae dedisse
 Rationem ligno collum adligantes.
 3885 Cum non vocatae solverunt manus
 Eos, vitae attactu novo statim
 Obliti sunt rationis datae. –
 Ni digna in gente magnus natus esset
 Corvinus ille, si tentorii
 3890 Saraceni cunam obduxisset umbra:
 Crucis primus miles quis factus esset?
 Luther si forte pontifex fuisset,
 Leoque in universitate doctor:
 Reformavisset *hic* ecclesiam,
 3895 *Ille* audacem forte excommunicasset.
 Quid ex Napoleone fit, superbam
 Viam ni gentis stravisset cruor
 Totius? Castris tabet putridis. –

ADAM (*os Luciferi manu constringens*)
 Nihil plus! – omne, quodcunque explicas,
 3900 Videtur tam simplex, verum videtur:
 Eo letalior. – Tantum viros
 Stultos occaecat superstitio,
 Qui spiritum ignorent moventem, agentem;
 Fratrem optimus sed norit quisque, ni
 3905 Dura scientia hunc neces, mathesi. –
 LUCIFER
 Loqui vin cum sodali? Proderit
 Parum scholae sui de notione.
 ADAM
 Multine hoc tractu degitis miselli?
 HYPERBOREUS
 Multi quidem, plures quam computare
 3910 Manu possum. – Sane viciniam
 Omnem excidi plagis; quid usui est?
 Novi usque procedunt, tamque est genus
 Phocarum rarum. – Sin vere es deus,
 Fac obsecror, fiat minus virum,
 3915 Phocarum plus. –
 ADAM
 Sat! imus, Lucifer!
 LUCIFER
 Attat, spectemus saltem coniugem.
 ADAM
 Nolo videre; nam si labitur
 Vir, visus certe est detestabilis:
 At nostro in corde contemptum movet.
 3920 Imago pulchri, femina, incarnata
 Poesis in lapsu, ut deforme monstrum,
 Horrorem profert. I, ne viderim.
 (*Interdum Lucifer, Ada ad tugurium tracto, calcibus ianu-
 am aperit. Intus Eva ut coniunx Hyperborei videtur. Adam
 in limine haerens stupet.*)

LUCIFER
 Fors consuetudinem invenis vetustam?
 Amplectere hanc: nisi hoc uxorem honore
 3925 Digneris, accipit probissimus
 Maritus diram in contumeliam.
 ADAM
 Amplectar hanc, olim qui Aspasiam
 Sinu fovi! Illius per hanc figuram
 Iam specto rursus translucere vultum,
 3930 At tamquam mutatum inter oscula
 In ora bestiae. –
 HYPERBOREUS (*tugurium intrans*)
 Uxor! hospites
 Venere. Gratos illos accipe.
 (*Eva collum Adae applicans eum in tugurium trahit.*)
 EVA
 Viator, salve, succumbe otio.
 ADAM (*se explicans*)
 Opem fer, Lucifer! abhinc, procul,
 3935 Reduc me in praesens de meo futuro,
 Ne diram sortem viderim meam:
 Certamen irritum. Mi cogitandum est,
 Num protinus fato Dei resistam. –
 LUCIFER
 3939 Excire ergo, Adam! finit somnium. –

SCAENA QUINTA DECIMA

Locus visionis in regionem palmis refertam scaenae tertiae mutatur. Adam iterum ut iuuenis, tugurio exiens somnoque vix experrectus stupet circa, Eva intus dormiente. Lucifer in medio stat. Sol radians fulget.

ADAM

3940 Visus horrendi, quo vos abstulistis?
Circa virent et rident omnia,
Ut cum reliqui, at fractum est interim cor.

LUCIFER

Homo vanissime! an tu postulas
Everti naturae ordinem, cometam
3945 Novam nitere per noctem tuam,
Terram quati verme uno perdito?

ADAM

An somniavi, nuncne somnio?
Plus denique est, quam somnium, illita
Materiae vita ad tempus minutum,
3950 Ut post una perirent funditus?
Cur, cur momenti conscientia,
Horrore ut cernamus nos non fore? –

LUCIFER

Moven querelam? – nil clades sine
Pugna nisi accipit ignavia,
3955 Ad quas vitandas vi satis valet.
At aeviternas fati litteras
Rumorem non tollens in otio
Valor videt, nihil quaerens nisi
Quo possit pacto sustinere eas.
3960 Pendet fatum hoc historiam super,
Tu nil nisi instrumentum isto coactum. –

ADAM

At non, mentiris, libera est voluntas,

Mihi debetur admodum merenti,
Pro qua me ipsum abdicavi paradiso.
3965 Multumque doctus visu somniorum,
Multaque spe privatus ipse tento
Modo in manu modum viam regendi.

LUCIFER

Ni spes aeterna nique oblivio
Essent fati fidi satellites,
3970 Illaque vulnus obducente apertum
Velaret haec abyssum stragulo
Sic hortans: ‘centum audaces incidere,
Tu solus felix transgredi valebis!’ –
Philosophus qui es, inter multa mira
3975 Num taeniam vidisti eiusmodi,
Quae vitam tantum in fele et buteone
Degit, tamen nisi in mure, haud potest
Per primam partem vitae progredi?
Nec destinatus ille mus neque hic
3980 Catti sentire unguis aut buteonis,
Et qui cavet bene, evitare quit
Ambos, domi extrema victus senecta.
Tamen custodit lex immobilis
Semper capi tot mures hostibus,
3985 Opus quot est, ut sint superstites
Et vermes in mundo post sera saecla. –
Neque in persona homo est fato ligatus,
Genus sed omne portat vincula;
Ut fluctus, te fert exaltatio
3990 Ad hanc rem nunc, iam cras ad alteram.
Habebunt victimas suas rogi,
Erunt et hi, qui illos derideant. –
Quique accurate computum exigat,
Mirabitur quam dentur consequenter
3995 Fortunā mortes atque nuptiae,
Quam congruentes virtus culpaque,
Fides, delirium, conscita mors. –

ADAM
 Sta! quae in cerebro mens incenditur –
 Deus, possum tibi resistere.
 4000 Dicat fatum ‘Vive usque hoc’ ter quater;
 Ludibrio est, non vivo, ni volo.
 Nonne usque solus in mundo ipse sum?
 Rupes stat ante me, praeceps abyssus:
 Unum saltabo, est actus ultimus...
 4005 Dicoque finitam comoediam. –
*(Ada ad rupem pergente Eva limen prodiens
 transgreditur.)*
 LUCIFER
 Finita, finita: insipis loquendo!
 Nonne omne tempus finit incipitque?
 Tantin’ mille annos proderat videre? –
 EVA
 Adam, cur te subduxisti mihi?
 4010 Fuit quam frigidum ultimum osculum,
 Cura aut ira in vultu livet tuo.
 Horresco te...
 ADAM *(pergens)*
 Cur ergo es me secuta,
 Quid specularis semitas meas?
 Virum, huius mundi dominum, tenet
 4015 Cura altior vanis lasciviis.
 Non femina hoc, compes viri, capit.
(Factus mollior)
 O cur non paulo plus dormire quisti:
 Magis sic difficulter offeram,
 Quod pro futuro munus debeo. –
 EVA
 4020 Si me audias, fiat facilius,
 Adhuc cui incertum quod fluctuarit,
 Certum prae nobis inde stat futurum. –
 ADAM
 Ain?

EVA
 Genas arrisuras scio,
 In aures quod susurrabo. Prope
 4025 Iam accede: o Adam, fetam me puto.
 ADAM *(in genua procumbens)*
 Deus, vicisti. Stratus in harena
 Frustra ecce luctor contra te et sine:
 Leva vel caede, pectus detegam.
 LUCIFER
 Oblitun, vermis, magnitudinis,
 4030 Mihi quam debes, es? –
 ADAM
 Mitte illam! erat
 Vanum phantasma; at hoc est otium!
 LUCIFER
 Et quid te iactas, stulta femina?
 Etsi in Eden, conceptus ’st filius
 Culpa, inferet mundo culpam atque luctus.
 EVA
 4035 Deo volente alter concipietur
 In luctibus, quos dissolvat ferens
 In hunc mundum tandem fraternitatem. –
 LUCIFER
 Rebellan, serve, contra me? Resurge
 Luto, brute!
*(Calcitrare Adam conatur. Caelo aperto Dominus in gloria
 sua angelis circumdatus apparet.)*
 DOMINUS
 In lutum, tu spiritus!
 4040 Nil ante me magnum est.
 LUCIFER *(se in terram flectens)*
 Nefas, nefas!
 DOMINUS
 Leva tete, Adam, ne esto corde fractus,
 Vides nam tete in gratiam redire.

LUCIFER (*secreto*)
 Puto familiae scaenam optimam
 Evolvi; forte dulcem sensibus,
 4045 At taedium intellectui meo.
 Surrepere optimum est mi. (*Pergit.*)
 DOMINUS
 Lucifer!
 Paucis et te volo, resta parumper.
 Et tu, mi fili, te quid cruciet, dic.
 ADAM
 Domine! Visus torsere horridi
 4050 Me nec quid ex his verum sit, scio.
 O dic, o dic, quae fata sint mea:
 Haec sit vita omnis, artis finibus,
 Per cuius pugnas spiritus liquetur
 Mihi, ut cum purum vinum coctum erit,
 4055 Effundas terrae, arena combibat?
 Merum vel nobile ad maius pararis?
 Potestne progredi olim gens mea,
 Tuum ad thronum usque tendens, nobilis
 Magis magisque, an exhausta ut molae bos
 4060 Circo, quem agit, nequit prorumpere?
 Habetne praemium cor nobile,
 Ludibrio quod ob fusum cruorem
 Vulgi cor vile habet? Fac explica,
 Et gratus portabo quodcumque fatum;
 4065 Utique commutabo cum lucro
 Incertitudinem hanc, quae est Orcus ipse. –
 DOMINUS
 Ne quaeras plus secretum, quod benigne
 Dei manus ocellis abdidere
 Aventibus. Videnti spiritum hic
 4070 Parum morari, ultra esse aeternitatem,
 Non esset virtus in terra pati.
 Videnti spiritum iri pulvere haustum,

Quid esset rillum, te abdicare mentis
 Ob magnum opus fugaci gaudio?
 4075 Micante nunc futuro in nebula
 Vitae brevis sub pondere occidentem
 Tete infiniti sensus elevabit.
 At tractum fors huius superbia
 Coercebunt te vitae termini arti.
 4080 Virtus restabit certa et magnitudo. –
 LUCIFER (*cachinnans*)
 Sane incipis iam cursum gloriosum,
 Virtus et magnitudo erunt duces,
 Haec verba, quae sunt incarnata tantum
 Superstitione, nescientia,
 4085 Praesumpta opinione custodita. –
 O cur cum homine magnum coepi opus,
 Ficto e solis luce et luto, pusillus
 Scientia qui est, magnus caecitate. –
 ADAM
 Ne deride, ne ride, Lucifer, me:
 4090 Qui opus vidi scientiae tuae
 Purum, admodum frigebat cor meum. –
 Sed o Deus! numquis me retinebit,
 Unquam rectam viam ne deseram,
 A quo manus ductrices abstulisti
 4095 Gustatis fructibus scientiae?
 DOMINUS
 Valentem bracchio – corde elevatum
 Loci vocant infiniti ad laborem,
 Et si cavebis, vox ad te sonat
 Non cessans, nutu continet levatque,
 4100 Sequaris dummodo. Etsi vox tacebit
 Caelestis per vitam actu divitem,
 Tenellae feminae huius purior
 Sensus procul lucrorum sordibus
 Bene audiet, poesis atque carmen

4105 Per venam eius cordis liquabitur.
Duabus his adstabit instrumentis
Per omnem fortunam adversam, secundam
Paracleta et surridens genius. –
Necnon tu, Lucifer, mundi in catena es
4110 Mei anulus – labora protinus:
Fermento frigida scientia
Tua est negatioque vana, gens
Humana quo fervebit aviusque
Parum vagatus – quid rēfert? – redibit.
4115 Sed infinitas tu poenas dabis,
Quodcumque vis delere, denuo usque
Videns pulchri atque honesti ferre germen. –
CHORUS ANGELORUM
Virtutem culpamve quanta
Sors est libere eligendi,
4120 Gratiam at Dei super nos,
Sicut scutum, scire tendi.
Audax fac curaque nil, sit
Annon vulgus vile gratum,
Magnum audens suum teneto
4125 Quisque honorem destinatum,
Quem secus facti puderet;
In terram viles ligabit
Conscientia haec pudoris,
Gloriosos elevabit. –
4130 Noli maiestate cursū
Caecus mente gloriari
Te Dei, quodcumque agas, ad
Gloriam, *te* machinari;
Instrumento te carere
4135 Illum destinationis:
At si sivit machinari
Te pro se, loco est decoris. –

EVA
O! gratias Deo, intellexi carmen!
ADAM
Et ipse suspicor sensum sequarque.
4140 At ille finis! – o oblitus essem! –
DOMINUS
4141 Homo, dixi: luctare speque spera!

INDEX

Scaena	5	prima
Scaena secunda		
11		
Scaena tertia		
19		
Scaena quarta		
27		
Scaena quinta		
38		
Scaena sexta		
51		
Scaena septima		
64		
Scaena octava		
85		
Scaena nona		
95		
Scaena decima		
106		
Scaena undecima		
113		
Scaena duodecima		
139		
Scaena tertia decima		
158		
Scaena quarta decima		
164		
Scaena quinta decima		
171		